# PHILOSOPHIÆ INSTITUTIONES

A

F. JOSEPHO ARCHANGELO

A FRACTA MAJORI

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

EX PROBATIS AUCTORIBUS SELECTÆ

ATQUE

*IN RELIGIOSAE PRAESERTIM JUVENTUTIS*

*COMMODUM EDITAE*

*TOMUS III.*

## PSYCHOLOGIAM ET THEOLOGIAM NATURALEM

*CONTINENS*

EDITIO SECUNDA.

NEAPOLI MDCCCXXX.
EX TYPOGRAPHIA JO: RUSCONI
*Via S. Annae Lombardorum N°. 37.*

*Superiorum Facultate.*

*Magna est negligentia nescire quid illud sit, quo caelestia tam profunde cogitamus, quo naturalia tam sublimi indagatione investigamus, et de ipso quoque Creatore nostro tam sublimia scire desideramus. Non est res peregrina, nec longe quaerenda a nobis. Animus est, quo ista sapimus. Sed est semper nobiscum, adest, tractat, loquitur, et intus versatur..*

Auctor Lib. de Spiritu, et Anima
in Praef.

# METAPHYSICÆ PARS III.

## *IDEST*

# PSYCHOLOGIA

### *Psychologiae nomen, et definitio.*

§. 1. Jam, Deo auxiliante, ad tertiam Metaphysicae nostrae partem pervenimus, quae *Psychologia* vocatur, nomen quod ex graeco derivatum, latini Philosophi *sermonem de Anima* interpretantur; ut proinde idem sit latine *sermo, tractatus*, vel *discursus* de Anima, ac graece *Psychologia*. Quare

§. 2. *Def.* *Psychologia* recte dici potest *scientia, seu doctrina, in qua quidquid de Anima humana, ejusque natura, origine, cum corpore commercio, et facultatibus, sciendum nobis est, dilucide traditur; atque explicatur.*

§. 3. *Schol.* Cum nihil sit, aut esse possit homini momentosius, utilius, atque jucundius quam noscere seipsum, juxta illud Thaletis effatum: *Nosce teipsum*, singulis hominibus inculcatum; Cumque Philosophorum fere omnium, tam Gentilium, quam Christianorum una vox sit, hominem creata cuncta visibilia praecellere,

utpote *mente* praeditum, qua, ut aiebat Tullius (Lib. 3. off.), *nihil homini dedit Deus ipse divinius*; Unde, scripsit S. Augustinus (Lib. VII. de Gen. ad lit. Cap. XIX.), quod *Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturae dignitate praecellit*; hinc est quod Phychologia fuerit semper a sanae mentis Philosophis summis laudibus celebrata, et digna, quae peculiari studio fuerit exculta.

*Psychologiae divisio.*

§. 4. Quoniam in hac Metaphysicae parte explicanda, multa de Anima, juxta Philosophos, vel scienda, vel exponenda occurrunt, nos ut omnis tollatur confusionis occasio, et perspicuitati consulatur, eam quatuor Sectionibus absolvemus. In quarum I. Animae naturam et essentiam; in II. ejus originem; in III. ejus unionem et commercium, quod habet cum corpore; in IV. tandem ejus facultates, atque affectiones expendemus. Quibus Appendix accedet de Anima Brutorum.

---

# SECTIO I.

*De Animae humanae natura, atque essentia.*

§. 5. *Def. Anima humana hic nobis est, principium illud, quo cogitamus; intelligimus nempe, judicamus, ratiocinamur; volumus insuper, atque nolumus; nostri nostrarumque actionum conscii existimus.*

§. 6. *Animad.* Cum hic Animae natura adhuc nobis ignota supponatur; in ea quippe dignoscenda occupamur, clariorem Animae notionem tradere non potuimus, quam illam nominalem (§. 5.). Quid ea sit, coram dilucidius apparebit.

§. 7. *Schol. 1.* Solent ex Philosophis nonnulli *Animam* inter, *Animum*, et *Mentem* distinguere; Atque Animam quidem, vim illam esse dicunt, qua vivimus, *respirationem* nempe, *aut sanguinem*; quo sensu loquutus Plautus videtur, cum cuidam dixit: *Foetet anima uxoris tuae*, et in Levitico (Cap. XVI. n. 14.) legitur; *Anima omnis carnis in sanguine est.* Animum vim illam esse dicunt, qua dolorem, voluptatemque sentimus. Mentem vero vim illam appellant, qua intelligimus: vim nempe illam, *qua* homo, ait Tullius (Lib. 1. Off. Cap. IV.), *consequentia cernit, principia, et caussas rerum videt, earumque progressus! et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adjungit, atque adnectit futuras.* Quidquid autem sit de ista distinctione, nos allata vocabula, et si quae sunt alia hujusmodi, pro uno, eodemque ususpamus, pro *Anima* (§. 5.) nempe. *Anima* siquidem, scribit Auctor de Spiritu et Anima (Cap. XIII.), *secundum benignitatem creatoris, atque secundum sui operis officium variis nuncupatur nominibus. Dicitur namque Anima dum vegetat, Spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit, animus dum sapit, dum intelligit mens, dum discernit ratio, dum recordatur memoria, dum vult voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista una anima est; proprietates quidem diversae, sed essentia una.*

§. 8. *Schol. 2.* Quae de hominis Anima in hac Sectione sumus explanaturi, haec sunt: scilicet 1. ejus existentia, et qualitas; 2. ejus natura, spiritualis nempe sit, an materialis; 3. Immortalis, an potius interitui subjecta; 4. tandem ejus essentia. Quatuor itaque distinctis Capitibus rem totam conficiemus.

# CAPUT I.

## *De Animae humanae existentia, et qualitate.*

§. 9. *Animad.* : Animam in homine existere, est, intus in eo esse rem cogitantem; quae nempe sit principium, quo homo cogitat (§. 5.), aliud a corpore, quod sensibus patet. Circa quod haec sunt.

### *Hominum placita.*

§. 10. Dicaearchus Aristotelis discipulus, sed sui oblitus, vel potius ignarus, hinc pessimus Philosophus, summa impudentia, ut refert Tullius (Lib. I. Quaest. Tuscul. Cap. X.), effutire non erubuit » nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen prorsus inane, fru» straque animalia, et animantes appellari; neque in » homine inesse animum, vel animam, nec in bestia; » vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sen» tiamus, in omnibus corporibus aequaliter esse fusam, » nec separabilem a corpore; quippe quae nulla sit, nec » sit quidpiam, nisi corpus unum, et simplex, ita figu» ratum, ut temperatione naturae vigeat, et sentiat ». Quot absurda in unum congesta! Quis non horreat? At mirandum valde non est: Peripateticus erat homo iste, coecutiens, et in tenebris ambulans Gentilium superstitionum, et quidem eo in tempore, quo Philosophia nondum barbariem excusserat. Mirandum illud est, insulsam hanc, abhominandamque Dicaearchi sententiam, merito ab omnibus Philosophis risu, et cachinnis exceptam, atque in Inferorum profundioribus penetralibus consepultam, ut nomen ejus de terra tolleretur omnino, fuisse a nonnullis iterum excitatam, atque defensam. A quibus vero! Ab illis, qui se *illuminatos*, et *spiritus fortes* jactitant, et in omnibus rationem sequi, buccis crepantibus deprædicant. En revera Maubeccius,

qui ( Princip. Physicae rational. ), ait, Animam esse tantum harmoniam quamdam, seu potentiam ex conjunctione corporeorum organorum enascentem. En Auctor Libri *L' Homme machine* D. DE LA METTRIE, qui Animam, terminum inane esse asserit, cujus nulla habetur idea, aut si aliquid esse dicere velimus, dumtaxat modificationem eam dicere possumus. Utinam et isti, gregales non habuissent, nec haberent etiamnum ! Tot Regna, et Imperia malis non redundassent, sagra profanis tam sacrilege commixta non fuissent ; et ipsa verax, et Sacrosancta nostra Christiana Religio tot discrimina non subiisset. Grates autem Deo. Si sunt impii Pseudophilosophi, qui ne quidem Animam hominem habere blasphemant, et optimi Philosophi absque numero sunt, qui pro Anima stant ; cum quibus et nos.

§. 11. *Postul. 1. Homo cogitat, percipit nempe, judicat, ratiocinatur, reflectit, libere vult, vel non vult, suarumque cogitationum sibi est conscius.* Quid hoc evidentius intimo sensu, et in praxi ?

§. 12. *Postul. 2. Non cogitat homo materialia solum, et sensibilia, sed spiritualia quoque et abstracta, uti* Deum, Angelos, virtutem, bonitatem ; veritatem etc., *In quibus nihil corporei, vel quasi corporei est invenire.* Id nemo sui compos in seipso non experitur.

§. 13. *Postul. 3. Quo magis homo se in seipsum recipit, atque a rebus corporeis, et sensibilibus se subtrahit, eo magis seipsum, non in corpore, sed intus in seipso videt, et aptior efficitur ad spiritualia, et abstracta percipienda.* Nihil experientia magis probatum. Apposite Auctor Libri de Spiritu, et Anima ( Cap. II. ); « Animus videt seipsum per semetipsum. » Non quaerit auxilium corporalium oculorum, immo » vero ab omnibus corporeis sensibus, tamquam impe» dientibus, et perstrepentibus abstrahit se ad se, ut » videat se in se, ut noverit se apud se. Et cum vult » Deum cognoscere, elevat se super se, mentis acie ».

§. 14. *Postul. 4. Licet objecta externa, organa hominis sensoria pervellant, in homine tamen non semper sensationes observantur, et ideae.* Id vel maxime patet

in iis, qui mentis alienationem patiuntur, et distrahuntur. Ii namque aliquando, non solum verba, et sonos, quibus ipsorum aures percelluntur non audiunt, sed nec ipsa objecta praesentia vident; immo nec ipsas percussiones sentiunt.

§. 15. *Postul. 5. Concussioni mechanicae in corpore humano factae, non semper in animo sensationes, et passiones respondent.* Fac, ex gr. coram pluribus diversi idiomatis, et quorum unus alterius idioma ignoret, proferatur haec vox *theos*, Grecus statim Deum ens nempe necessarium et a se percipiet; at Latinus? Italus? Germanus? Anglus? Arabs etc.? nihil certe percipient, licet eadem vox eorum aures personuerit.

§. 16. *Postul. 6. Animus hominis, momento summa, ima, propinqua, dissita permeat, et pervadit, syderibus velocior, cogitatione velocior, tempore velocior.* Revera ipsa, scribit Auctor de Spiritu, et Anima (Cap. 11.) « Deficit, et proficit, novit, et ignorat, meminit et obliviscitur. Modo vult, et modo non vult. Diffusus cogitationibus, atque consiliis, huc atque illuc vagatur. Considerando spectat omnia: videt absentia, transmarina visu ambit, et percurrit aspectu, abdita scrutatur. Et uno momento sensus suos per totius Orbis fines, et Mundi secreta circumfert. Descendit ad inferna, ascendit inde, versatur in Coelo ». Haec adeo certa sunt, atque explorata, quam quod maxime. Ex quibus autem sequitur, quod.

§. 17. *Coroll. 1.* Haec omnia, quae ab Anima fieri conspiciuntur sunt proprie dictae actiones; sunt namque aliquid in ea, (§. 52. Ont.).

§. 18. *Coroll. 2.* Laudatae animae actuales cogitationes, et actiones sunt modi, sive accidentia: variantur enim, et permutantur; modo fiunt, modo non; modo fiunt hae, modo diversae, atque oppositae. (§. 16.).

# PROPOSITIO I.

*Existit Anima in homine.*

§. 19. *Demon.* Existunt in homine cogitationes; homo namque cogitat, judicat etc. (§. 11.); Atqui hujusmodi cogitationes etc. sunt actiones (§. 17.); Ergo datur principium effectivum a quo producuntur, alias daretur effectus sine sua caussa efficiente, quod esse nequit (§. 47. Ont.); Atqui per principium effectivum nostrarum cogitationum intelligitur Anima (§. 5.); Ergo existit etc. Q. E. D.

§. 20. *Coroll.* Merito Seneca (Lib. VII. quaest. natural.): *Habere nos Animum, cujus imperio et impellimur, et revocamur, omnes fatebuntur.* Quod si aliqui sint, qui oppositum sentiant, cum proprio ore se dementes esse fateantur, veluti tales tractandi erunt, aut spernendi.

# PROPOSITIO II.

*Anima hominis est substantia.*

§. 21. *Demon.* Actuales cogitationes, et aliae omnes, quae in Anima experiuntur operationes hujusmodi; perpetuae mutationi subsunt; siquidem non semper eaedem perseverant, sed aliae aliis succedunt; modo his contrariae, et oppositae (§. 16.); sunt proinde modi, sive accidentia (§. 18.). Sed accidentia necessario indigent subjecto, cui inhaerent, ut existant (§. 379. Ont.); Ergo Anima, cui talia accidentia inhaerent est ipsorum subjectum; Atqui, subsumo, subjectum cui accidentia inhaerent est substantia (§. 376. Ont.); Ergo Anima hominis est substantia. Q. E. D.

# PROPOSITIO III.

*Anima in homine non est idem ac Corpus, sed alia substantia, quae corpori organico sociata, hominem constituit.*

§. 22. *Demon.* Si Anima hominis foret idem cum ejus corpore, non cognosceret seipsam, nisi per corpus, et in corpore, nec alia cognoscere posset, nisi solum corporea, et materialia; nec se a sensibilibus, et corporeis objectis abstrahere, alias effectus esset nobilior sua caussa, quod repugnat (§. 56. Ont.); Atqui Anima hominis non cogitat corporalia tantum, et sensibilia, sed spiritualia quoque, et abstracta (§. 12.), nec videt se in corpore, sed in seipsa, neque per corpus, sed per semetipsam; idque quo magis se a corporeis, et sensibilibus subtrahit (§. 13.); Ergo etc. Deinde si Anima in homine nihil aliud foret a corpore diversum, semper ac objecta externa organa sensoria percellerent, semper quoque in homine sensationes, et ideae observarentur; Atqui hoc falsum experitur (§. 14.); Ergo etc. Ulterius: Si Anima idem est humanum corpus, eidem impressioni mechanicae in corpore factae, semper sensationes, et passiones responderent in anima; Sed non respondent (§. 15.); Ergo etc. Tandem si Anima hominis ab ipsius corpore non differret, non posset extra corpus cogitatione vagare, neque tam mira celeritate in tot dissitis locis se transferre, et multo minus tanta, et talia inter se diversa, et mira complecti; Corpus enim est natura sua iners, atque impenetrabile, et quod proinde caussa externa indiget, ut ad motum impellatur; Atqui supradicta omnia constantissime fieri ab anima observantur; Ergo etc. Q. E. D.

# CAPUT II.

## *De Animae humanae natura.*

§. 23. *Animad.* Cum Anima in homine existat ( §. 19. ); sitque proprie dicta substantia ( §. 21. ); et quidem alia a corpore ( §. 22. ); corpori tamen copulata, ut unum cum eo faciat compositum, nempe hominem ( §. 16. Log. ); eumque substantia multiplex distinguatur ( §. 358. Ont. ), hinc quaerunt Philosophi: cujusnaturae ea proprie sit, corporeae nempe, et materialis, an potius incorporeae, et spiritualis?

§. 24. *Animad.* 2. Substantiam vero tam materialem, quam spiritualem, hoc loco, in sensu proprio, maxime strieto, et rigoroso usurpamus, prout nempe substantias designent, quae attributis, et proprietatibus constent, sibi invicem e diametro adversantibus, atque oppositis; materialis nempe partibus sit composita; proindeque extensa, impenetrabilis, iners; spiritualis vero partibus omnino careat, soliditatis propterea, atque extensionis expers; sitque libertate praedita, et intrinsece activa ( §. 360. Ont. ); adeo ut sit prorsus impossibile, ut quae materialis substantiae sint propria, spirituali conveniant, et vicissim ( §. 272. id. ); alias eadem res attributis constaret, quae invicem repugnant, quod esse nequit ( §. 162. id. ) Hic ergo ne quidem verbum nobis est de illis substantiis, quae vel ob subtilitatem, vel agilitatem *spiritus* solent appellari, veluti spiritus vini, salis ammoniaci, vitrioli etc., spiritus animales; et in Scripturis ( §. Psalm. 148. v. 8. ): *Spiritus procellarum*, nempe ventus etc.: eae namque cum materiales, et corporeae substantiae proprie sint, nonnisi improprie spiritus appellantur.

§. 25. *Schol.* Adeo difficile, Animae naturam nosse, atque determinare Veteres Philosophi putaverunt ut dicere non dubitaverit Heraclitus, teste Laertio ( Lib

IX. ), *nunquam illam reperiri posse, quantalibet quis vitae spatia conficiat.* Hinc est, ut ab antiquis usque temporibus, diversae de ea, semper fuerint

*Philosophorum sententiae.*

§. 26. Et quidem, si fidem Senecae habere velimus, tam varie de Animo Veteres opinati fuerunt, ut » » alius illum *dixerit* spiritum, alius concentum quem- » dam, alius vim divinam, et Dei partem, alius tenuis- » simum aerem, alius incorporalem potentiam; non de- » fuerint, qui sanguinem *vocarint*, qui calorem ». Tha. les Milesius, uti scribit Plutarchus ( Lib. VI. de Placit. Philos. Cap. II., et III. ), » Animam censuit natu- » ram irrequietam esse, et sua vi citabilem. Pythagoras, » numerum seipsum cientem. Plato, substantiam intel- » lectilem, per se agitabilem, ad numerum se mo- » ventem, harmonice modulatum. Aristoteles. *entelechiam, veluti nempe quamdam continuatam, et perennem motionem*, primam corporis naturalis, potentia » instrumenti vitam habentis. Dicaearchus elementorum » quatuor harmoniam. Asclepiades medicus, sensuum » coercitamentum. Anaxagorei, aeris esse instar dixe- » runt, corpusque. Stoici, fervidum spiritum. Democri- » tus, ignitum quoddam ex naturis concretum mente » perceptis, globosam iis, quidem ideam habentibus, » igneam autem potentia, idque corpus esse. Epicurus, » temperamentum ex quatuor, ex quali igneo, ex quali » aqneo, ex quali spirabili, ex quarto quodam inno- » minato, quod ipsum sensibile est. Atque ab hoc nihil » fere discessit Lucretius, qui ( Lib. III. de Nat. rerum v. 178. et seq. ) ita cecinit.

*Principio esse ajo* ( Animum ) *per subtilem, atque minutis*
*Perquam corporibus factum constare etc.*
*Corporibus parvis, et levibus, atque ita rotundis*
( v. 226. )
*Nec tamen haec simplex nobis natura putanda est*
( v. 233. et seq. )

*Tenuis enim quaedam moribundos deserit aura*
*Mixta vapore: sopor porro trahit aura secum:*
*Nec calor est quisquam, cui non sit mixtus et aër*
. . . . . .
. . . . . .
*Jam triplex animi est igitur natura reperta:*
*Nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum:*
*Nil horum quoniam recipit mens, posse creare*
*Sensiferos motus quaedam, quae mente volutat.*
*Quarta quoque his igitur quaedam natura necesse est*
*Attribuatur: ea est omnino nominis expers,*
*Qua neque mobilius quicquam, nec tenuius extat:*
*Nec magis e parvis, aut levibus ex elementis:*
*Sensiferos motus, quae dedit prima per artus.*

Eae autem omnes Veterum de Anima opiniones, in hoc recidunt, ut Animam substantiam materialem esse statuant, unde et Materialistae, qui eas protulerunt, vulgo appellantur. Istorum caussa, esto veluti penitus deperdita fuerit habita, ope tamen aliquorum Recensiorum, postremis hisce temporibus, reviviscere visa est, maximo cum dedecore humanae conditionis, quae nedum Brutis animantibus, sed et vili materiae fuit comparata. Inter quos autem praecipuum locum tenere videntur, Hobbesius, qui cogitationes nihil aliud esse ait, quam actiones, et ractiones fibrillarum, et nervulorum sensuum, et cerebri: Abbas Yvonius, qui sic impie, atque impudenter ausus est effutire: *Ego sum corpus, et cogito, et nihil scio praeterea*: Helvetius, qui hominem dixit a reliquis animantibus, ob solam externam configurationem diversum: Mirabodius, Freret, Tolandus, Dobwellus, Cowardus, Voltairius, aliique hujus furfuris increduli; quibus addi potest, esto non desint, qui refragentur, Joannes Lokius, qui ultraquamquod, per corpusculorum motus, humanae mentis cogitationes satis apte explicari posse asseruit, nihil etiam obstare docuit, quominus Omnipotens Deus, apud quem non est impossibile omne verbum, materiae cogitandi vim elargiri possit. Haec

Materialistae, ipsorumque fautores; ex quibus ista, prono alveo sequuntur.

§. 27. *Coroll. 1.* Animae proprietates, atque attributa eadem sunt, ac illa quae habet Corpus, et materia.

§. 28. *Coroll* 2. Corpus itaque, vel materia cogitare potest, judicare, ratiocinari secundum Materialistas. Propterea

§. 29. *Coroll.* 3. Omnes, quae ab Anima fieri observantur operationes, per motum fiunt; in ente namque materiali, et composito (quale Anima supponitur), ut Physici omnes, nemine refragente, tuentur, nulla mutatio fieri potest, nisi motu; additione nempe, vel subtractione partium, aut tandem translatione ab una in aliam partem compositi. At asseri ne ista possunt, quin intimae conscientiae, evidentissimae experientiae, communique omnium sensui valedicatur? Apage deliria!

§. 30. *Postulatum. Principium in homine cogitans est unum; atque individuum; simplex propterea unica, atque individua est cogitatio.* Hoc adeo practice unusquisque evidenter in se experitur, ut intimo sensui valedixisse putandus erit, qui oppositum asserere auderet. Ecquis enim tam demens unquam inventus est, qui cogitationem divisibilem dixerit, partes extra partes habentem, rotundam esse, vel quadratam?

§. 31. *Schol.* Ut hujus Postulati veritas, magis, magisque illucescat, atque Incredulorum cordibus firmius haereat, placet hic eam verbis Petri Bayle, Incredulorum merito principis, declarare, qui ita scribit (in Dict. Hist. Art. Remar. E.) » Hoc argumentum pro-
» prie unitatis verae ideae innititur, quae entibus co-
» gitantibus necesse est conveniat; si enim substantia co-
» gitans non aliter esset una, quam unus est globus,
» ipsa nunquam cerneret totam arborem. En demon-
» strandae hujus veritatis idea. Pictas super globo vo-
» bis imaginemini quatuor terraquei Orbis partes. Nihil
» hoc in globo cernitis, quod totam complectatur Asiam,
» imo nec integrum flumen. Quae pars exhibet Persiam,
» non ea est, quae Regnum refert Siamum; partemque
» dexteram a sinistra vos distinguitis in tractu Euphra-

» tis. Hinc ergo sequitur, quod si globus hujusmodi figuris, quibus ornatur, foret intelligendis idoneus, nihil » in seipso haberet, quod clamare posset: ego totam Europam, universas Gallias, integrum Amstelodamum, » cunctam Vistulam cognosco. Quaelibet globi pars eam » solum figurae partem posset cognoscere, quae tangitur. » Et quoniam adeo parva haec foret pars, ut nullum » integrum referret locum, sic frustra omnimoda ines» set globo cogitandi facultas; nullum enim cogitationis » actum ab ea hauriret; aut saltem hujusmodi intelle» ctionis actus ab iis toto coelo different, quos perpetuo » nos experimur, cum hi totum, integrumque objectum » repraesentent: argumentum evidens, in nullas dispe» sci posse partes, quod in nobis objectorum imagini» bus afficitur; et ideo corpoream, vel materialem, vel » ex pluribus compositam entibus, hominis non esse par» tem, quae cogitat ». Haec Baylius. Sed jam ab antiquis usque temporibus, nulla de hac re dubitatio fuit. Unde, cum certum, exploratumque sit, nos eodem tempore, eademque Anima plura simul, atque inter se dissimillima comprehendere, veluti colorem, odorem, saporem, sonum etc., recte conclusit Tullius (Lib. I. Tusc. Quaest.), quod *nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium Judex solus esset.*

## THEOREMA I.

***Enti materiali, et corporeo, cogitatio penitus repugnat.***

§. 32. *Demon.* Si Ens materiale et corporeum posset cogitare, cogitatio vel esset integra et tota in singulis partibus materiae cogitantis, vel in singulas partes ita dispersa, ut cum ipsa materia foret divisibilis; Atqui neutrum esse potest; non primum, quia in tali casu tot essent principia in homine cogitantia quot sunt partes in eo cogitantes, quod repugnat (§. 30.); non secundum, quia cum una pars cogitationis sit in una parte

materiae, alia in alia, et sic deinceps, cogitatio esset divisa; et cum una pars materiae, quia extra aliam, non esset conscia, nisi tantum sui, inscia vero alterius, nunquam fieri posset ut haberetur integra, et una cogitatio, nec consequenter principium cogitans, et sui ipsius conscium concipi posset; Ergo etc. Q. E. D.

## THEOREMA II.

*Animae proprietates cum materiae proprietatibus manifestissime pugnant.*

§. 33. *Demon.* Nam Animae essentiales proprietates omnibus notae, sunt vis cogitandi, judicandi scilicet, atque ratiocinandi; nec non facultas libere volendi; corporis vero inseparabiles, atque cognitae proprietates sunt, soliditas, divisibilitas, atque inertia; Atqui cogitatio materiae repugnat (§. 32.); judicium et ratiocinium pugnant cum soliditate, et divisibilitate, libertas cum inertia; Ergo etc. Prob. min. quoad singulas ejus partes; et primo hic quod judicium, et ratiocinium pugnant cum soliditate. Ut judicium habeatur (idem dic a fortiori de ratiocinio); omnino requiritur, ut fiat idearum collatio inter se (§. 120. Log.); et cum ideae, in sententia Materialistarum, non sint nisi corporeae motiones (§. 29.), judicia, et ratiocinia motionum corporearum collatione continebuntur; quae motiones ut conferantur, ut patet, necesse est, omnes veluti in unam confluant. Nunc autem vel in unum confluunt motiones sine subjectis, vel partes materiae, quae sunt motionum illarum subjecta invicem penetrantur; Atqui primum fieri nequit (motiones enim a partibus, quae moventur separari non possunt); Ergo alterum; Adeoque, ut ideae conferantur, destrui debet solidi tas; et consequenter etc.

§. 34. Demonstratur nunc, judicia, et ratiocinia pugnare cum divisibilitate. Nam si principium quod

judicat, et ratiocinatur, quodque idcirco idearum collationem efficit divisibile foret, vel quaelibet idearum, quae conferri debent, uni parti respondet; nimirum singulae ideae singulis partibus, vel omnes simul ideae partibus singulis. Si primum, idaae nequaquam conferuntur; ut enim conferantur, in unum veluti conferantur necesse est; nunquam proinde judicia, et ratiocinia haberentur; Si secundum, omnes simul ideae unica motione exprimerentur, quod esse nequit; adeoque etc.

§. 35. *Demon.* Libertatem cum inertia pugnare. Nam per inertiam fit, ut res perseveret in suo statu, vel motus, vel quietis, sitque impotens ad suum statum, propria virtute mutandi; adeoque nullam status mutationem subire possit, sine caussae externae actione; per libertatem vero fit, ut liberum agens, seclusa qualibet caussae externae actione, seu determinatione, statum mutare possit, agere nimirum, vel non rgere; actionem pro lubitu interrumpere, deinde ad agendum reverti, necnon ab una actione ad alteram transire; Ergo libertas pugnat cum inertia; adeoque etc. Q. E. D.

§. 36. *Coroll.* Animae itaque essentia est diversa a corporis essentia (§. 338. Ont.)

## THEOREMA III.

*Animae perceptiones nequeunt esse motus partium cerebri.*

§. 37. *Demon.* Nam si ita non esset, non alia percipere possemus, quam quae in organis sensuum mutationem aliquam produoere valent, atque motum in cerebro excitare; Atqui plura percipimus, quae nullam immutationem in huiusmodi organis efficere possunt (§. 12); Ergo etc. Deindé si perceptiones in mero motu consisterent orto in cerebro, eaedem motiones referrent easdem perceptiones, immo essent perceptiones eaedem; Sed hoc est falsum (§. 14. 15.); Ergo etc. Ulterius,

si percepsiones in motu consisterent, anima res diversas, et oppositas semel, simulque intelligere non posset, neque eodem tempore varias volitiones elicere; hoc enim in casu, varii motus orirentur, iique contrarii; hinc vel materia motibus contrariis agitata quiesceret, et nulla tunc oriretur actio; vel ex tot confusis motibus tanta confusio oriretur, ut nulla rerum haberetur cognitio; nullus esset idearum ordo, vel nexus, nulla proinde judicia, nulla ratiocinia; Atqui hoc falsissimum observatur; Ergo etc. Tandem si perceptiones illae essent motus, illis cessantibus, cessaret et motus, atque a novis motibus deleretur; quare nulla praeteritarum rerum haberetur memoria; Sed habetur; Ergo etc Q. E. D.

## THEOREMA IV.

*Anima humana agit modo essentialiter diverso ac substantia materialis.*

§. 38. *Demon.* Nam 1. substantia materialis, ex suis intrinsecis, est passive indifferens ad motum, et quietem, ita quidem, ut extrinseco agente ablato, nequeat ex seipsa determinari ad motum, dum quiescit, nec a motu cessare, dum movetur; *Animus vero sua sponte et cogitat, et movetur,* ut omnes, constanti experientia fatentur cum Lactantio. ( Cap. X. ) 2. Nulla materialis substantia ita operatur, ut simul sit ipsa sui, suarumque operationum conscia, et quod vi sua moveatur; contra vero, *Mens.* inquit Auctor Libri de Spiritu; et Anima ( Cap. XXXII. ), *cui nihil seipsa praesentius est, quadam interiori non simulata, sed vera praesentia, videt se in se. Nam cognoscit se vivere, se meminisse, se intelligere; se velle, cogitare, scire, judicare.* 3. Ex eodem Auctore ( Cap. XIX. ): *Nullum corpus aut simul tangi totum potest, aut simul tangere totum potest. Anima vero in quibuscumque suis motibus, vel actibus tota simul adest. Tota videt, et tota*

*visorum meminit. Tota audit, et tota sonorum reminiscitur. Tota odorat, et tota odores recolit. Tota per linguam, et palatum sapores sentit, et discernit. Tota tangit, et dura, et mollia. Tota simul approbat, vel improbat etc.* 4. tandem, ne plura persequamur, quaelibet corporea potentia, ea tantum, quae sibi praesentia sunt attingit; praeterita vero, et futura, vel absentia, ipsam nec leviter afficiunt; contra vero humana mens praeteritas res, et absentes, aeque ac praesentes scrutatur, nec ipsam latent futurae; Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO

*Anima hominis est substantia spiritualis.*

§. 39. *Demon.* Substantiae materiali repugnat cogitatio (§. 32.); Sed Anima humana est principium cogitans (§. 5.); Ergo non est materialis, sed spiritualis. Deinde: Si Anima esset materialis, ejus proprietates, et attributa materiali substantiae convenirent (§. 27.); posset propterea ens materiale judicare, ratiocinari, et libere velle (§. 28.); Sed hoc repugnat (§. 33.); Ergo etc. Ulterius si anima non esset spiritualis, ejus perceptiones, motus essent partium cerebri (§. 29.); Atqui hoc est falsum (§. 37.); Ergo etc. Tandem si anima non esset substantia spiritualis, ageret eodem modo ac agit substantia materialis; Sed agit modo essentialiter diverso (§. 38.); Ergo etc. Q. E. D.

*Materialistarum argumenta solvuntur.*

§. 40. *Objc 1.* Ideo asseritur Animam esse spiritualem substantiam, quia cogitatio, quae essentialis animae proprietas est, materiae repugnat; sed hoc falso asseritur; Ergo etc. Prob. min. Nobis notae non sunt omnes materiae proprietates; fieri ergo potest, ut inter illas pro-

proprietates materiae, quae nobis ignotae sunt, etiam vis cogitandi reperiatur; Adeoque etc.

§. 41. R. dist. ans. Et aliunde vis cogitandi cum notis essentialibus materiae proprietatibus pugnat, conc. ans.; non pugnat, n. ans.; ergo etc., n. consm. esto integra materiae natura, singulaeque ejus intimae proprietates nos lateant (interiora enim naturae cognoscere negatum est mortalibus), optime tamen scimus, vim cogitandi occultis materiae proprietatibus accenseri non posse. Quaecumque enim occultae fingantur materiae proprietates, eae nonnisi materiales esse possunt, cum ex materia non possit nisi materia oriri; adeoque semper aderit contradictio inter ipsas, et cogitationem. Sicuti namque talis ignorantia non efficit, ut materiae vim creandi seipsam, suasque partes in nihilum redigendi tribuamus, quia novimus, nihilum non posse seipsum producere, et in nihilum redigere; ita nunquam efficiet, ut ipsi vim cogitandi adjudicemus, quia haec notis materiae proprietatibus manifeste repugnat, nec fieri ullo modo potest, ut idem ens componatur intrinsecus ex iis, quae se mutuo destruunt.

§. 42. *Contra.* Atqui cogitatio cum notis materiae proprietatibus minime pugnat; ergo n. r. Prob. subsm. Cum notis materiae proprietatibus minime pugnat motus; ergo neque cogitatio. Prob. consa. Cogitatio nihil aliud est, quam motus; actio nimirum, et reactio partium organorum sensoriorum; ergo si motus minime pugnat cum notis materiae proprietatibus, neque cogitatio. Prob. ans. Nulla est cogitatio in anima, quae cum agitatione aliqua, et motione corporea non sit conjuncta; quae si accidat, cogitatio enascitur, et tamdiu perdurat, quamdiu motio illa perennis est; ergo cogitatio nihil aliud est, etc.

§. 43. R. Conc. ante, n. consm. Ex quo namque coexistentia cogitationum, et motuum in homine observetur, id solum erui potest, dari animam inter et corpus mirabile illud commercium, quo fit, ut positis certis motionibus in corpore, certae rerum notiones enascantur, habeanturque in anima; et vicissim, datis quibusdam appetitionibus in anima, determinati quidam motus

consequantur in corpore, non vero, quod cogitationes ipsae motiones sint organorum sensoriorum, et cerebri.

§. 44. *Contra*. Atqui illa coexistentia cogitationum et motuum, non evincit commercium inter animam, et, corpus, sed quod motus iidem sint ipsae cogitationes; ergo n. r. Prob. min. subsm. Eaedem proprietates, quae motui competunt, competunt et cogitationi; ergo illa coexistentia, etc. Prob. ans. Praecipua inter proprietates motus est celeritas; sed celeritas in cogitatione quoque deprehenditur, ut intima testatur conscientia, qua constat, unam cogitationem esse alia celeriorem; ergo eaedem etc.

§. 45. R. Conc. maj., dist. min. Et aliunde celeritas, quae cogitationi adjudicatur est generis diversi ab ea, quae motui adscribitur, conc. min., est generis ejusdem, n. min.; ergo etc. n. consm. Ut clare appareat quantum inter se distent velocitas, quae cogitationi adjudicatur, et velocitas motus, juvat utriusque notiones exponere. Jam celeritas illa, quae motus corporei censetur, est ea mobilis effectio, qua dato tempore, datum spatium percurrit per veram, et successivam propriae substantiae translationem, quae aestimari debet ex spatio, et tempore simul percurso, quod quidem spatium percursum, est linea a moto corpore descripta. Celeritas vero cogitationis sic exprimitur: dum humanae menti alicujus objecti, puta totius Coeli idea obversatur, si spatio duorum minutorum omnes ejus partes per successivas perceptiones primo perlustraverit, mox vero unius minuti tempore idipsum perficiet, posterior haec cogitatio dicitur priori celerior, quatenus secunda vice singulas Coeli partes breviori contemplatione percurrerit, non quod perceptiones in mente et clariores fuerint, et numero plures eodem tempore, ita ut quas perceptiones duorum minutorum intervallo produxerat mens circa idem objectum, easdem postea unius minuti tempore produxerit. Porro quis a risu temperet, si quaeras, quam rationem habeat velocitas, qua Sol nostrum illuminat Emisphaerum, ad velocitatem, qua idem praestat homo cogitatione? Quare cum nulla habeatur vera, et successiva corporis translatio in cogitatione, nec ulla per consequens

linea habeatur vera reapse percursa, hujus velocitas nihil habebit commune cum corporum motorum velocitate; ac propterea cogitationes meri motus censeri non poterunt. Verum est equidem, ut motum, ita et veram celeritatem cum quavis cogitatione conjungi; at quemadmodum motus ille plurimum differt ab ipsa cogitatione, ita et celeritas, quae cum cogitatione conjungitur, quaeque motus illius propria est, ad ipsam cogitationem nequaquam pertinet.

§. 46. *Contra*. Atqui velocitas cogitationis eadem est cum velocitate motus; ergo n. r. Prob. subsm. Utraque velocitas habetur a caussis externis, utraque crescit, vel decrescit juxta validiorem, vel debiliorem externarum caussarum impressionem; sicuti namque corpus celerius movetur, dum validiori impulsu ad motum determinatur, ita et mens celerius cogitat, ubi validior habeatur in organis sensoriis impressio; Ergo velocitas, etc.

§. 47. R. Conc. ant. n. consm. Quod cogitationum velocitas sit in ratione validiarum impressionum in organis sensoriis factarum, sicuti major vel minor corporum, et motus velocitas majori, vel minori impulsui respondet, id unum praesefert, quod sicuti corpus quiescens dependet a potentia motrice ut moveatur, et a validiore illius actione, ut majorem adquirat celeritatem, ita vi ineffabilis illius unionis, qua inter se mutuo copulata sunt Anima, et corpus, illa in suis perceptionibus eliciendis ab hujusmodi motione dependeat, adeo ut, quo celeriores, et vehementiores fuerint impressiones, celeriores, et clariores elicere debeat perceptiones, celeritate omnino diversa a corporum motorum velocitate, uti est jam explicatum.

§. 48. *Objic. II*. Ex similibus proprietatibus, similia quoque arguuntur ipsorum subjecta; Atqui proprietates omnino similes competunt tam corpori, quam animae; ergo si corpus est materiale etiam anima est materialis; Adeoque etc. Prob. min. Crescere, adolescere, senescere, vires adquirere, et debilitari sunt utique proprietates, quae corporibus competunt; sed istae proprietates, animae quoque competunt; ergo etc. Prob.

min. Anima crescit in pueris, adolescit in juvenibus, debilitatur in senibus, in infirmis infirmatur, et paulatim deficit; ergo etc.

§. 49. R. dist. ans. Anima crescit in pueris etc., quoad virium suarum exercitium, virtualiter, et ratione mutui consortii cum corpore, conc., crescit ratione suae entitatis, n. ans., et consm. Ex illo admirabili foedere, quod arcano Dei consilio, animam inter et corpus statutum est, pendet ratio, cur crescente corpore, et adolescere anima, vigere vigente, eoque languente, et ipsa languere, ac veluti minui videatur, cum ipsa interim ex se, suaque natura, et juxta propriam substantiam, nec incremento, nec decremento, nec ullae corporeae mutationi sit obnoxia. Nimirum, cum ideo sit in corpore, ut rerum notitiam, ope phantasiae, in quam imagines rerum per sensus transmittuntur, hauriat, et ut de illis ratiocinetur, occasionem ex phantasmatibus accipiat, sive imaginibus in phantasia residentibus, ideo sub initium aetatis nihil, vel parum ratiocinatur, quod nulla, vel pauca habeat phantasmata, ex quibus ratiocinii texendi occasionem sumat; cum vero temporis progressu plura itidemque clariora comparet phantasmata, ideo uberius, et perfectius ratiocinatur. Decrepita autem aetate, ideo nihil, parumve, aut detorte ratiocinatur, quod phantasmata aut omnino, aut magna ex parte deleantur, atque tum obscure, cum perturbate repraesententur. Da porro seni, iuquiebat post Aristotelem, Gassendus, ut juvenilem oculum, ita et iisdem imaginibus instructam phantasiam, et mens tunc declarabit, non seipsam senuisse, sed sibi idem contigisse, quod per ebrietatem, aut morbum evenit; nempe, ut cessante ebrietate, aut morbi vehementia, non apparet amplius delirans, sed ob cerebrum restitutum, persanatamque phantasiam, sicuti prius, ratiocinatur; ita cerebro, phantasiaque juveniliter iterum affectis, apparebit mens non amplius repuerascere, sed ut prius ratiocinari; atque adeo ostendet, quidquid mutationis non in seipsa, sed in phantasia, ejusdemque organo contigisse. Idipsum dicendum: si phantasmatibus morbo, aut vino turbatis, cerebro male affecto, spiritibus vitali-

bus in deliquio cordis torpentibus, suas non posset perfecte functiones exercere.

§. 50. *Contra* Atqui mens suapte substantia crescit in pueris, viget in juvenibus, debilitatur in senibus; ergo n. r. Prob. subsm. Quod ratione sui tangit corpus, et vicissim a corpore tangitur; id ratione sui crescit, viget, et debilitatur; sed anima hominis ratione sui tangit corpus, et vicissim a corpore tangitur; ergo etc.

§. 51. R. dist. maj. Quod etc. tactu quantitativo, et formali, id ratione sui etc.; conc. maj.; tactu virtuali, n. maj. Sed anima etc. dist. min.; tactu virtuali, conc. tactu quantitativo, et formali, n. min., et consm. Duplex distinguitur tactus, *quantitativus*, sive *formalis* unus, qui et *quidditativus* dicitur, et *virtualis* alter; sicuti duplex est quantitas, alia molis, alia virtutis. Tunc habetur tactus quantitativus, cum unum aliud tangit per partes vere, ac proprie dictas, idest solidas, ac impenetrabiliter extensas; et hic tactus nonnisi corporibus, quae partibus constant, competere potest; tunc autem habetur tactus virtualis, quando duo, licet diversi sint ordinis, adhuc tamen ratione intimae unionis, unum aliud movet; atque hoc modo anima corpus tangit.

§. 52. *Contra.* Atqui anima tangit corpus, tangiturque ab illo tactu formali, et quantitativo; ergo n. r. Prob. subsm. Anima sentit, dolet, gaudet, tristatur ex iis, quae in corpore fiunt. Atqui anima sentire non potest dolorem, ac voluptatem, quin a motu corporis physice percutiatur, nec physice percuti potest, quin corpus tangat, et tangatur a corpore tactu formali, et quantitativo; ergo etc.

§. 53. R. Concessa maj. n. min., et consm. Cum anima ita sit juncta corpori, ut ab ipso in suis operationibus, et corpus ab anima, per legem a Deo statutam animam inter et corpus, dependeat, hinc fit, quod in anima cogitationes semper, et affectiones occurrant, quae impressionibus, motibusque corporis respondent, et in corpore motus insurgant itidem animae cogitationibus, et affectibus correspondentes, ita ut moto ab externa caussa corpore, illius rei sensatio, et cogitatio excitatur in mente: excitata vero in mente cogitatione, atque

orto ex hoc desiderio, vel alio affectu, aut passione, motus in corpore illico fiat cogitationi, ac desiderio respondens. Hinc per hoc commercium, quod animam inter, et corpus intercedit, anima sentire potest, imo sentit dolorem, ac voluptatem per aliquem motum in corpore factum, quin physice percutiatur a corpore, tactu formali, et quantitativo.

*Objectiones aliae extra Scholae formam.*

§. 54. Et primo. Unum ex argumentis, quo animae spiritualitas evincitur; est quia ipsa spiritualia objecta, puta Deum, Angelos, seipsam etc., attingit; atqui hoc nullius est roboris; ergo etc. Prob. min. Anima objecta spiritualia attingit, non uti spiritus sunt, sed uti corpore constant; attingit nempe Deum, sed ad instar senis venerandi; attingit Angelos, sed velut pulcherrimos juvenes alatos; attingit seipsam, sed veluti speciosam puellam, vel subtilissimam substantiam; ergo etc.

II. Vulgatum est illud; quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; sed anima recipitur in corpore; ergo ad modum corporis recipitur; atqui corpus est materiale; ergo et anima materialis est.

III. Inter ea quae uniuntur dari debet proportio; sed anima et corpus invicem uniuntur; ergo habent inter se proportionem; atqui si anima esset spiritualis, nulla daretur hujusmodi proportio, corporale namque, et spirituale invicem opponuntur; Ergo etc,

Tandem. Etsi concipere nequeamus quomodo materialis substantia cogitare possit, scimus tamen, Deum utpote infinitum potentia, cogitationem materiae posse impertire. Nam si per vos nulla habetur repugnantia, quod Deus ita condiderit animam, quae licet spirirualis sit, influit tamen in corpus; neque ulla etiam habetur repugnantia, quod Deus condiderit materiam vi cogitandi praeditam; adeoque etc.

§. 55. R. ad singulas. Et ad primam: Anima, nonnisi per errorem, et quia dum in corpore est, phantas-

matibus corporis subjicitur, Deum, Angelos, seipsum etc. sub corporea imagine attingit. Verum in corporeis imaginibus istis nequaquam se sistit; scit enim, Deum omni prorsus compositione carere, atque spiritum purissimum esse; *Nec vero*, ait Cicero (Lib. 1. Q. E. T. Tusc.) *Deus qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam, et libera, segregata ab omni concretione mortali;* uti ergo vere spiritus sunt, eos attingit; et noscit aliter facere non posse, quin in errores putidissimos haereticorum incidat,

Ad II. Verissimum est effatum illud in argumento expositum: *quidquid* etc., at eum de accidentibus tantum sermo est, non vero ubi agitur de substantiis, uti est Anima. Anima enim non recipitur in corpore veluti ipsius accidens, vel per continentiam, aut physicum contactum, ut aqua in vase; sed per unionem, sive inhaerentiam, qua illud tanquam domina regit, atque vivificat. Recipitur itaque in corpus ad ipsius modum, quatenus operari non potest, nec alio modo, nisi in quantum a corpore afficitur.

Ad III. Resp. cum dist. Inter ea etc. proportio in ratione formae, et subjecti informantis, et informati, recipientis, et recepti, conc. maj, proportio entitatis, et naturae, n. maj.; et concessa min. dist, primum cons.; ergo etc., aliqua proportio in ratione formae, et subjecti, informantis, et informati; recipientis, et recepti conc.; aliqua proportio ratione entitatis, et naturae, n. consm.; et dist. min. subsm.; sed etc. in ratione entitatis, et naturae, conc.; in ratione formae, et subjecti, etc., n. min. subsm. cum consa. Cum corpus, et anima diversi sint generis, et ordinis, nulla ideireo inter ea haberi potest proportio, quoad entitatem, et naturam. Verum anima se habet relate ad corpus, sicuti se habet forma relate ad suum subjectum, sicuti perfectibile ad perfectivum; ideireo satis est, ut ea sub hac proportione uniantur.

Ad ultimum tandem. Fatemur et nos, Deum infinita potentia gaudere, et qua longe majora, quam quae humana capacitas attingere potest, efficere posse. Scimus tamen, ipsum, quae intrinsecus pugnant, efficere non

posse ( §. 116. Ont. ). Cum ergo , materiam cogitare sit intrinsecus impossibile ( §. 32. ), jure meritoque negamus , Deum cogitationem materiae posse tribuere. Nec valet adducta paritas in argumento. Nulla enim habetur repugnantia , quod Deus ita condiderit animam , quae licet spiritualis sit , influit tamen in corpus materiale , quia influxus animae in corpus non est quantitativus , sed tantum virtualis , uti jam dictum est ) §. 51. ) (a).

## CAPUT III.

### *De Animae immortalitate.*

§. 56. *Def. 1. Vita* , generatim , *est status perennis operationum in subjecto.* Hoc sensu plantas ipsas , herbasque vivere dicimus si vegetant , erescunt nempe. frondes , flores , fructusque correspondentes producunt; Animalia item vivere adfirmamus si vegetatione , et sensu instructa observantur.

§. 57. *Def. 2. Vita* autem hic *stricte sumpta, est status perennis cogitationum in subjecto , vi cogitandi praedito.* Contra : *mors est defectus vitae , atque hinc operationum in subjecto.* Itaque

§. 58. *Def. 5. Mortale dicitur subjectum , quod vitam , quam habet , amittere potest , atque ab operationibus cessare. Immortale vero , quod perenniter vivit ; in statu nempe suarum operationum perpetuo durat.* Hujus abstractum dicitur *immortalitas ; mortalitas* vero abstractum illius.

---

(a) Qui alia legere cupit , consulat P. Fortunatum a Brixia Metaph. P. II. Dissert 5. Sect. 1. P. Odoardum del Giudice Psyc. Sect. 1. P. Ioscphum Tamagna Psych. Cap. I. Art. 1. Iosephum Joan. Potestium Psyc. Sect. 1. Cap. VII. Jacquier Pneumat. Cap. I. Art. I. Laurentium Altieri Metaph. P. III. Cap. I. Storchenau Psyc. Sect. 1. Genuensem Metaph. Tom. II. Cap. I.

§. 59. *Coroll.* Ad immortalitatem ergo non sufficit sola subjecti existentia, sed omnino requiritur ut vivat, et in operando perseveret. Si hoc desit, subjectum immortale non est.

§. 60. *Schol.* Immortale duplex distinguitur; *intrinsecus* nempe, et *extrinsecus*; et hoc insuper vel natura sua est tale, vel beneficio conditoris.

§. 61. *Def. 4. Immortale intrinsecus dicitur, quod attenta natura et constitutione, vitam quam habet, amittere nequit. Immortale extrinsecus, natura sua, et absolute est illud, quod nullam habet causam exteriorem, a qua possit vita privari;* hujusmodi est solus Deus, qui omnimodam, tam nempe intrinsecam, quam extrinsecam sua natura, et absolute habet immortalitatem. *Immortale* vero *extrinsecus et beneficio Conditoris dicitur, quod licet constitutione sua mortale non sit; quia tamen contingens, posset a caussa externa per annihilationem interire; At non annihilatur, sed in statu vitae perenniter conservatur*; tales sunt Angeli. Immortale hujus generis dici etiam potest, quod licet natura sua sit morti obnoxium, Dei tamen beneficio a morte servatur incolume; hoc genere immortalitatis frueretur homo, si primus Parens non peccasset.

§. 62. *Animad.* De Animae immortalitate hic pertractantes, non solum de intrinseca loquimur, sed etiam de extrinseca, illa tamen, quae est ex beneficio Conditoris (§. 61.). Videndum igitur nobis est; An Anima hominis sit naturaliter immortalis, ita ut a corpore soluta vivat; et an Deus eam perenniter vivere faciat, servetque immortalem. Idque sola ratione duce praestandum est. Sed ante omnia exponamus quaenam hac super re fuerint, sintque modo

## *Hominum placita.*

§. 63. Generaliter loquendo, omnes illi, qui Animam spiritualem esse negarunt (§. 26.), illam quoque mortalem esse dixerunt. Immortalitas namque est veluti

consectarium spiritualitatis, ut mox apparebit. In duas vero classes immortalitatis Animae osores dispescuntur. Quidam enim volunt, Animam simul cum corpore interire; et sicuti corpus vita privatus, in cineres abit, ita et anima veluti mollis aer, dissipabitur. Hujus sententiae, inter Veteres, praecipue fuerunt Leucippus, Democritus, Plinius, Epicurus, ejusque fidissimus assecla Lucretius, qui inter alia, quae ore impio protulit, ex quo omnia in hominis morte deficere videantur, atque interire, ita conclusit (Lib. III.

*Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai*
*Naturam, ceu fumus in altas aeris auras.*

Inter Recensiores vero palmam praeferunt Benedictus Spinozza, Tollandus, Cowardus, Hobbesius, Voltairius, Montagnius, D. S. Euremondi, et praesertim Auctor Libri *l'homme machine*, qui vulgo adscribitur Metryo. Heu humanae naturae dedecus!

*Tantum amor nihili! tanta est vecordia! solum hoc*
*Permetuunt coeci, ne mens compago soluta*
*Duret adhuc nimium vivax, bustoque superstes*
*Evolet!* . . . . (Card. de Polignac in *Ant. Lucr. Lib. V. v. 1047.*).

Alii quidam volunt, hominum Animas, post mortem corporis, aliquandiu superstites esse, non sic autem uti animae sapientum, praeclarorumque virorum, ita illae rusticorum, atque indoctorum; Istorum enim animas utpote debiliores; soluto corpore, paulatim solvi, ac tandem penitus interire putabant; illorum vero animas, utpote vegetiores, firmiores, constantioresque ad totius usque mundi conflagrationem esse duraturas. In hanc vere insulsam sententiam abjerunt Stoici omnes, quibus adhaesere Sadducaei, et inter Christianos quidem Arabae, saeculo tertio; licet hi postremi, in hoc ab aliis differant, quod animas in die judicii iterum creandas fore adfirment. Non desunt etiam, qui licet animam immortalem esse credant, putant tamen,

animae immortalitatem, fide tantum, non vero naturali ratione constare; inter quos Henricus Perrottus, et Joannes Lokius; contra negant Sociniani, doctrinam de animae immortalitate ex Sacris Scripturis haberi, quinimo eam sacris illorum dogmatibus adversari, impudenter adfirmant. Verum contra hos, aliosque ejusdem furfuris homines, stant Philosophi omnes, et veritatis amatores, tam ex veteribus, quam ex recensioribus; omnium nempe saeculorum, et temporum, locorum, et Religionum, qui et animam immortalem esse docent, atque invictissimis a ratione humana desumptis argumentis, ad evidentiam usque, demonstrant. Cum quibus, et nos. Unde sit

## THEOREMA I.

*Anima humana est incorruptibilis.*

§. 64. *Demon.* Corruptio in ente solum composito, locum habet (§. 410. Ont.); sed anima humana est substantia simplicissima, et spiritualis (§. 39.); ergo anima humana est incorruptibilis. Optime, et ad rem Tullius (Lib. 1. Tusc. QQ. Cap. 29.). *In animi cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi; nec discerni, nec distrahi potest; nec interire igitur; est enim interitus quasi discessus, et secretio, ac direptus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur.* Q. E. D.

§. 65. *Corollarium.* Anima ergo interire non potest, nisi per annihilationem (§. 414. Ont.)

## THEOREMA II.

*Nullum ens finitum potest animam, existentia, et vita privare.*

§. 66. *Demon.* Nam anima humana interire non potest, nisi per annihilationem (§. 65.); sed enti finito vis aliquid annihilandi repugnat (§. 406. Ont.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 67. *Coroll.* Solus ergo Deus, ens nempe infinitum, potest animam annihilare (§. cod.).

## THEOREMA III.

*Anima humana a corpore soluta, vim retinet cogitandi.*

§. 68. *Demon.* Vis cogitandi est unum, et fere praecipuum essentiale attributum animae hominis; adeo ut sine ea, anima intelligi nequeat (§. 361. Ont. et 5. hujus); ergo si hujusmodi vis ab anima tolleretur, tolleretur et anima ipsa (§. 202.); sed anima a corpore soluta remanet (§. 64.); ergo vim cogitandi retinet. Q. E. D.

## THEOREMA IV.

*Anima humana a corpore soluta potest cogitare, cogitatque reipsa.*

§. 69. *Demon.* Anima humana a corpore soluta vim retinet cogitandi (§. 68.); ergo etc. Prob. consa. Si anima a corpore soluta, vim habens cogitandi, reapse

non cogitaret, frustra ei Deus talē vim contulisset; atqui Deus nihil agit frustra; ergo, etc. Deinde anima humana dum est in corpore, quanto magis a rebus sensibilibus subducit, atque se in se recipit, tanto magis ad cogitandum est apta, faciliusque cogitat (§. 13). Quis enim, qui se bene inspexerit, non expertus est, ait Sanctus Augustinus (lib: de immort: animae Cap. 10), *tanto se, aliquid intellexisse sincerius, quanto removere, atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit*? ergo magis a corporeis vinculis penitus soluta cogitare potest, cogitatque melius. Tandem, anima a corpore soluta, habet objecta, quae cogitet, et contempletur; habet nempe Deum, Angelos, seipsam, aliasque animas separatas, etc.; ergo etc.: Q. E. D.

## THEOREMA V.

*Divinae bonitati opponitur, hominis animam cum corpore interire.*

§. 70. *Demon*: Entis summe boni est suos diligere, eisque benefacère, necnon bona, quae contulit eis conservare; sed Deus est summe bonus; ergo suum est, amicos diligere, etc:; atqui animae perennis vita est majus bonum, quod in Natura concipi potest, quodque homo innato instinctu appetit; ergo etc: Deinde, Dei bonitas exigit, ut homo ad virtutem tendat, atque vitia detestetur, atqui si anima simul cum corpore periret, deberet homo vitium amplecti, odio habere virtutem; ergo etc: « Prob: min: Se l' anima umana (verbis utor D. Bernardi della Torre Episcopi Stabiensis in lib. *La Verità della Religione Cristiana* P. 1. seconda verità fondamentale prop. IX.) perisse col corpo, il fine dell' Uomo sarebbe procurarsi in questa vita la somma maggior de' piaceri, e 'l minimo de' mali. Questo sarebbe il fine, che Iddio stesso avrebbe prescritto all' uomo. Adunque tutt' i mezzi, che potessero fargli

» conseguire un tal fine sarebbero leciti, degni di lode, » ed approvati da Dio stesso, e quei che ne le allon» tanassero, sarebbero illeciti, degni di biasmo, e da » Dio stesso disapprovati. Perciocchè chi vuole il fine, » vuole i mezzi, che conducono al fine. Fingiamo dun» que, che una donna abbia un figlio, ed un figlia» stro, e colla morte del figliastro possa arricchire il » figlio, e se stessa, e menare una vita agiata; il pro» curare la morte del figliastro con qualunque mezzo » sarebbe lecito, e degno di lode, e fare il contrario » sarebbe degno di biasmo. Il tutore, che potesse a » danno del pupillo arricchire sestesso, farebbe un' a» zione virtuosa, e degna di lode, e la fedeltà usata » al suo pupillo, sarebbe una sciocchezza degna di deri» sione, e di biasmo. La moglie fedele al suo marito, » la quale doma una passione ardente, che la divora per » un amante, mentre il marito è lontano, e può im» punemente soddisfarla, è degna di biasmo: e la mo» glie impudica, e infedele, è degna di lode. L' assas» sino, il quale uccide, e svaligia il viandante ricco » per sottrarsi alla povertà, che lo tormenta, se lo » puo fare impunemente, è un uomo virtuoso, il quale » adopera un mezzo proprio a conseguir quel fine, pel » quale è stato creato. Ma l' animo vi si rintuzza ad ap» provare si scellerate azioni .... Dunque etc; » Q. E. E.

## THEOREMA VI.

*Divinae justitiae repugnat, animam humanam, vita privari.*

§. 71. *Demons*: Ad infinitam Dei justitiam spectat, justos, et suorum mandatorum observatores praemio, impios vero, et sibi rebelles supplicio afficere; ergo si Deus post corporis mortem, animam non servaret, in hoc saeculo deberet praemia justis, impiis supplicia rependere; justi proinde laetos ducere dies, de-

liciis affluere, bonisque omnibus abundare deberent; impii e contra in miseriis, et malis contabescere; vitamque aerumnis, atque aegritudinibus plenam ducere; atqui contrarium experientia comprobatur, cum impii, et scelesti, ut plurimum, ducant lactanter, et in bonis dies suos; justi autem calamitatibus, tribulationibus, atque malis opprimantur; igitur aut dicendum, alteram vitam esse, in qua secundum merita, unicuique a Deo retribuatur, et impii ibunt in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam, aut Deum esse injustum, et suorum amicorum crudelem tyrannum: hoc posterius iniquissimum est asserere; ergo et primum; adeoque etc. Q. E. D.

## THEOREMA VII.

*Dei sapientiae adversatur, animas hominum in nihilum redigi.*

§. 72. *Demon*: Dei sapientia animam ad optimos fines creavit: ad gloriam nempe suam exterius manifestandam, et ad homines felices reddendos; atqui sine animae conservatione, hi fines non consequerentur; et quidem non primus, quia ubi anima vivere desinit, desinit etiam id per quod Dei gloria manifestatur; non secundus, quia anima in nihilum redacta, non est amplius felicitatis capax; ergo etc: Deinde Dei sapientia exquirit, ut homines non decipiantur; atqui deciperentur si anima cum corpore interiret; ergo etc... Prob: min: Cuilibet hominum insitus est felicitatis appetitus; *bene enim vivendi* ajebat Tullius (lib. V. de finibus) *cupiditate incensi omnes sumus*: Qui appetitus, cum sit universalis, est a natura, hinc a Deo; jam vero appetitum hunc in praesenti vita impleri, atque satiari nunquam posse, compertissimum est, quod cum ille Regum sapientissimus Salomon expertus fuisset, omnia bona hujus Mundi, quae hominis felicitatem in praesenti statu constituere

possent, ut vana, et inania non modo traduxit; sed et spiritus afflictiones affirmavit; si ergo altera vita non esset, in qua appetitus hujusmodi impleretur, Deus nobis illuderet, atque in deceptione perpetua contineret, quippe qui talis naturae nos fecisset, ut desiderio felicitatis continuo angeremur, quin unquam felicitatem consequi nobis foret concessum; atqui hoc Dei sapientiae adversatur; Ergo etc. Q. E. D.

## THEOREMA VIII.

*Deus animam humanam post corporis mortem non vult vita privare.*

§. 73. *Demon.* Deus non vult quod suis attributis adversatur; atqui animam humanam vita privare, Dei bonitati (§. 70.), justitiae (§. 71.), atque sapientiae adversatur (§. 72.); Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO

*Anima hominis tum natura sua, cum Dei beneficio est immortalis.*

§. 74. *Demon.* I. P. Nam anima hominis a corpore separata non corrumpitur (§. 64.); nec ab ullo ente finito potest existentia, et vita privari (§. 66.); vim quoque retinet cogitandi (§. 68.); unde cogitare potest, cogitatque reipsa (§. 96.); Sed quod hujusmodi est, natura sua dicitur immortale (§. 61.); Ergo etc. Scite propterea, et ad rem, quidam celebris Poeta Hetruscus cecinit.

*Che spiritual è l' animo, e sostanza*
*Semplice, indivisibile intelletto,*
*Patir non può sustanzial mutanza,*

*Nè a struggersi, e a corrompersi è soggetto.*
*Nè mai di morte a natural mancanza*
*Può l' esser suo morendo esser constretto:*
*Di sua natura ha indestruttibil vanto,*
*Ente, che non ha parti, e non è quanto.*

§. 75. *Demon.* II. P. Deus non vult animam hominis, post corporis mortem, vita privare (§. 73.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 76. *Schol.* Expositis probationibus, solent Philosophorum plerique et illam addere, quae ex unanimi consensu omnium gentium, pro animae immortalitate adducitur. Sane, ajebat Seneca (Epist. 7.): *cum de animae aeternitate disseritur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium aethera, aut colentium.* Jam vero omnium gentium cujuscumque temporis, Regionis, et Climatis fuerint, sententiam esse, post corporis mortem, animam superesse, testantur de Indis Strabo (lib. 15.); de Caldaeis, et Indorum Magis, Coelius Rodiginus (lib. 18. lect. antiq. cap. 31.), de Egyptiis, et Tracibus Macrobius; et de aliis alii, sine interruptione, ad nostram usque aetatem; ut proinde fere Mundo coeva dici possit, de animae immortalitate apud gentes omnes, perpetua, et nunquam interrupta traditio; Igitur etc. Revera « dove, fra qual gente (graphice scribit quidam » recens Orator), in qual lido troverò spenta l' idea » dell' immortalitade dell' Anima? M' aggiro dall' Orto » all' Occaso, dall' Artico all' Antarico, e trovo radicata » per tutto la persuasion di nostr' Anima viva, e su- » perstite al corpo. Il Formosiano drizza voti ai defun- » ti: Il Chinese li ripone fra i Dei; il Giapponese li » crede a splender sugli astri: il Siamese li consulta ad » oracoli. Nella Cochinchina si portan cibi ai sepolcri: » nella Caffreria si seppelisce il Rè coi Ministri; nel » Ceylan il Padrone ed il servo: nel Canadà il servo, » ed un cane; nel Malabar il marito e la moglie, cre- » dendo che si prestino ajuto . . . . E quindi le Apo- » teosi de' Romani, i Necrologj dei Greci, il Sindacato » degli Egizj, le Lapide dei Colledonj, i Murrai de-

» gli Oraziani a qualificare i trapassati. Quindi le tom-
» be, le urne, i cenotafj, gli avelli, gli epicedj, le
» libazioni, la liturgia, le preci a suffragio de' mor-
» ti. Quindi le favole ancora di Caronte, di Minos-
» se, di Radamente, degli Elisj, del Tartaro, a pre-
» mio, o gastigo degli estinti. Quindi finalmente i riti
» le costumanze, le leggi, le stesse vane apprensioni
» delle fantasie dei Lemuri, dei Vampiri, delle ombre
» di tutte le genti, e nazioni, che tutte collimano al
» punto dell' immortalità di nostr' anima ». Itaque ut hic cum Tullio (Lib. 1. Tuscul. QQ. Cap. 15.) concludamus; *si omnium consensus naturae ipsius vox est, omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos perveniat, qui vita cesserint (eorum nempe animam superesse immortalem), nobis quoque idipsum existimandum est.*

*Audiuntur Adversarii, et refelluntur.*

§. 77. *Objic. 1.* Anima humana oritur cum corpore; Ergo pereunte corpore etiam ipsa perit; adeoque non est immortalis.

§. 78. R. dist. ans: Anima oritur cum corpore, sed modo essentialiter diverso, ac oritur corpus, conc. eodem modo, n. ans.; Ergo etc., n. utramque consm. Anima humana oritur quidem cum corpore, sed modo essentialiter diverso, ac oritur corpus. Corpus enim, utpote materialis substantia, per generationem oritur, mens autem ex nihilo fit per creationem. Cum namque anima substantia sit incorporea, et spiritualis (§. 39.): cumque hujus generis substantiae, non alia ratione oriri queant, quam ex nihilo, hinc et mens ex nihilo oriatur, atque creetur, necesse est (§. 414. Ont.). Quare si anima per creationem in corpore oritur, nec habet quidquam commune cum corpore, quod oritur per generationem, nec per consequens corporis conditionem sequitur. Unde etsi corpus sit intrinsece corruptibile, et mortale, incorruptibilis tamen, et intrinsece immortalis anima dicenda est.

§. 79. *Contra*. Atqui licet mens per creationem oriatur, corpus autem per generationem, nihilominus pereunte corpore, et anima ipsa perire debet; Ergo n. r. Prob. subsm. Etiamsi anima per creationem oriatur, est tamen forma corporis essentialis; ad informandum enim corpus est destinata; sed formae pereunt, pereuntibus subjectis; ergo et anima, pereunte corpore, pereat necesse est.

§. 80. R. conc. maj. dist. min. Sed formae, quae sunt merae subjectorum modificationes, quaeque sine subjectis nec existere; nec operari queunt, pereunt, pereuntibus subjectis, conc. min., formae, quae existere, et operari queunt sine subjectis, intereunt, intereuntibus subjectis, n. [illegible]; ergo etc., dist. cons., et aliunde anima est forma corporis ejus naturae, ut sit mera corporis modificatio, atque sine ipso nec esse, nec operari queat, n.; est forma corporis ejus naturae, ut sine corpore, et subsistere, et vires suas exercere possit, conc. consm. Formae ceterae, pereuntibus subjectis, et ipsae pereunt, quoniam ipsae non sunt, nisi subjectorum modificationes; et modus quidem eam habet naturam, ut sine re modificata, nec esse, nec intelligi possit; vel saltem ut sit, a subjecto ipso dependet. At vero anima humana, licet sit forma corporis, ipsum vivificet, moveat, atque hominem cum ipso constituat, ejusmodi tamen est, ut esse, conservari, et agere possit, etiam post corporis interitum. Quare necesse non est, ut cum primum corpus dissolvitur, atque corrumpitur, et ipsa moriatur, et pereat. Nimirum ut existere desinant ad subjectorum interitum, non omnibus omnino formis commune est, sed earum dumtaxat proprium, quae mere subjectorum modificationes cum sint, ab ipsis subjectis in esse, fieri, et conservari, ut ajunt, omnino dependent.

§. 81. *Contra*. Atqui anima humana perit pereunte corpore, uti pereunt reliquae formae, pereuntibus subjectis; Ergo n. r. Prob. subsm. Anima humana, utpote forma corporis essentialis, petit suapte natura non existere antequam corpori uniatur; Ergo suapte natura petit non existere post separationem a corpore; adeoque etc.

§. 82. R. conc. ant., n. utramque consm. Anima humana tanquam essentialis corporis forma, petit utique non prius existere, quam corpori copuletur, cum sit contra formae essentialis naturam, ut ea enascatur extra subjectum, cujus est forma, quae enim entia se habent, ut actus, et potentia, seu ut materia, et forma, non prius naturaliter existunt; quam inter se copulentur. Et quidem cum forma essentialis, ad subjectum informandum, suapte natura ordinetur, naturae ipsius consentaneum non est, ut existere incipiat, antequam subjecto copuletur. At vero stat optime cum natura formae essentialis, quod ea ob subjecti defectum, a subjecto ipso sejungatur, ac sejuncta maneat, quemadmodum sane mens, non ob sui defectum, sed porro corporis, quod ineptum ad animam retinendam redditur, ab ipso separatur. Quare etiamsi anima, utpote corporis forma, neque existere possit antequam corpori uniatur, poterit tamen existere post separationem a corpore, neque idcirco petit pro omni statu suapte natura, corpus, quod informet, quasi a corpore disjuncta, nequeat ullo tempore existere.

§. 83. *Contra.* Atqui si mens, ex concessis, tanquam forma corporis, nequit existere ante unionem cum corpore, neque poterit existere post separationem a corpore; ergo n. r. Prob. subsm. Ratio, ab quam nequit mens existere ante unionem cum corpore, haec sola est, quod nequeat a corpore sejuncta operari; ergo si non potest existere ante unionem cum corpore, ex concessis; ex concedendis neque poterit existere post separationem a corpore. Prob. ans; Omnis operatio mentis dependet ab organo corporeo; Ergo mens a corpore sejuncta operari nequit; atque adeo si nequit existere ante unionem cun corpore, est, quod a corpore separata operari non potest.

§. 84. R. dist. ans. Omnis operatio mentis dependet ab organo corporeo omnino per accidens, conc. ans; per se et necessario, n. ans.; Ergo etc., n. utramque consm. Actio humanae mentis pendet ab organo corporeo, non necessario, et per se, sed solum per accidens; et quatenus mens ipsa manet in statu conjunctionis: nimirum quamdiu corpori unitur, nequit operatio-

nes suas elicere sine cooperatione corporis, et phantasiae, propter intimum illud commercium, quo cum corpore conjungitur. Verumtamen constat in principaliori functione, nimirum in judicio, et reflexione, phantasmata nullo modo mentem juvare, sed potius errandi occasionem quondoque praebere. Accedit etiam, intellectum ratiocinando plura attingere posse, quae si phantasmatibus indulgeret, nunquam attingeret. Hinc Solis magnitudinem per rectas conjecturas intelligimus, ejus vero phantasma, seu imaginem nullo modo habemus. Ut homo sibi incognitus, cognoscat se, opus habet, consuetudine recendi a sensibus. Tandem nemo non experitur a sensibus se detineri, et magnopere impediri, ne claras, atque distinctas plurium rerum, universalium puta, et abstractarum assequatur ideas, quarum nulla sunt propria, et immediata phantasmata, seu quae nullam faciunt immediate in corpore impressionem. Quae omnia satis edocent, a corporeis organis, mentem non necessario in operando pendere; atque a corpore solutam, operari optime posse.

§. 85. *Obijc. II.* Quod suapte natura exigit creari, exigit in nihilum redigi, sicuti quod exigit natura sua generari, exigit suapte natura corrumpi, juxta vulgatum axioma: *principio respondet proprius finis*; sed mens humana, quia substantia est incorporea, exigit creari; ergo quia substantia incorporea, exigit, suapte natura in nihilium redigi; quemadmodum, quia corpora suapte natura exigunt generari, natura pariter sua petunt corrumpi.

§. 86. R. dist. maj. Quod exigit etc., hoc est, quod ut existat, debet creari, ut pereat, debet in nihilum redigi, sicuti, quod ut existat, debet generari, ut pereat, debet corrumpi, conc. maj.; quod semel creatum est, exigit in suis intrinsecis absolute perire per annihilationem, quemadmodum quod semel genitum est, exigit ex suis intrinsecis, absolute perire per corruptionem, n. maj.; sed mens humana etc., conc. min.; ergo quia substantia incorporea est, etc., n. consm. Principium illud, cui totum innititur argumentum; nimirum: *principio respondet proprius finis*, id evincit

dumtaxat, rerum interitum esse proportionatum ortui earum, ita scilicet, ut quae per generationem oriuntur, perire debeant per dissolutionem; quae vero oriuntur per creationem, perire nequeant, quam per annihilationem, non autem evincit, id quod alterutro modo oritur, alterutro modo interire necessario debere. Quapropter, quia mens, utpote substantia incorporea, nonnisi per creationem existere incipit, existere non desinit, si tamen aliquando desinit, quam per annihilationem; sicuti ergo corpora oriuntur per generationem, per corruptionem, et dissolutionem intereunt. Ratio autem cur corpora corrumpantur, mens autem in nihilum non abeat, est quia actio rerum circumpositarum, valet tandem aliquando corruptionem in corpore inducere; nulla autem est actio rerum factarum, quae par sit menti in nihilum redigendae.

§. 87. *Contra.* Atqui non minus mens, quae per creationem oritur, exigit annihilari, atque exigunt corrumpi corpora, quae per generationem enascuntur; Ergo n. r. Prob. subsm. Non minus mens quae per creationem oritur, quam corpora, quae enascuntur per generationem, initium habent; sed quidquid habet initium, habet et finem; ergo non minus mens, quae per creationem oritur, quam corpora, quae nascuntur per generationem, finem habent existendi; sed finis existendi mentis, quae per creationem oritur, est annihilatio, corporum vero, quae nascuntur per generationem, finis existendi est corruptio; Ergo non minus etc.

§. 88. R. Conc. maj. dist. min. Quidquid habet initium sive per creationem, sive per generationem, habet et finem, n. min.; quidquid habet initium per generationem dumtaxat, habet et finem, conc. min.; sed finis existendi mentis etc., conc. min. subsm.; Ergo etc., n. consm utramque. Itaque. Aristotelicum enunciatum illud: *quidquid habet initium, habet et finem*, spectare potest ea dumtaxat, quae per generationem oriuntur, minime vero ea, quae initium habent per creationem, suntque substantiae omnino incorporeae; eae namque semel positae in rerum natura, cum non habeant in seipsis principium interitus, neque interire per

actionem rerum aliarum similiter creatarum, existere pergant necesse est.

§. 89. *Contra.* Atqui finem existendi habent, non solum ea quae initium habent per generationem, sed et quae oriuntur per creationem; ergo n. r. Prob. subsm. Idcirco tandem aliquando existere desinunt ea, quae per generationem initium habent, corpora nimirum, quia variis subjiciuntur mutationibus; sed et mutationibus pluribus obnoxia sunt ea, quae per creationem oriuntur; substantiae scilicet incorporeae; Ergo non minus etc.

§. 90. R. dist. maj. Idcirco tandem aliquando etc. mutationibus tum substantialibus, cum accidentalibus, conc. maj.; accidentalibus tantum, n. maj., et dist. min.; sed et mutationibus pluribus accidentalibus etc., conc. min., mutationibus pluribus substantialibus, n. min.; Ergo etc. n. consm. Tam corporeae, quam incorporeae substantiae, quin variis mutationibus subjiciantur, dubitari non potest; sunt enim entia suapte natura contingentia, atque idcirco mutabilia (§. 239. Ont.). At diversi omnino generis, et naturae sunt mutationes, quae corporibus accidunt, atque eae sint, quibus obnoxiae passim redduntur substantiae incorporeae; plures namque corporeae mutationes, sunt mutationes substantiales, ejusmodi nimirum, ut iis corporum ipsorum structura omnino varietur, ac partium nexus penitus dissolvatur. Mutationes, quae substantiis incorporeis contingunt, sunt iisdem mere accidentales, ita nimirum mutantur substantiae incorporeae, ut dum varias mutationes subeunt, ipsa sua substantia, et natura invariatae perseverent. Hinc facile intelligimus, cur corpora, tandem aliquando, finem existendi faciant, minime vero substantiae incorporeae, etsi mutationibus plurimis utriusque generis substantiae subjiciantur,

*Alia in contrarium argumenta, soluta oratione.*

§. 91. Et I. Anima a Deo creatur, ut corpus informet, et regat; Ergo dissoluto corpore, et ipsa annihilatur.

II. Anima est substantia incompleta ; est enim destinata ad constituendum cum corpore unum compositum , nempe hominem ; Ergo a corpore disjuncta , non amplius existit..

III. Si anima hominis post corporis mortem viveret, homo mori potius exoptaret , quam diu esse in hoc mundo ; et

*Non jam se moriens dissolvi conquereretur ,*
*Sed magis ire foras , vestemque relinquere , ut anguis*
*Gauderet* . . . . . ait Lucretius ( lib. III. de Rerum natura ) ;

Atqui homo vivere potius cupit in hoc mundo , quam mori ; dolet propterea atque conqueritur , dum morti est proximus ; Ergo etc.

IV. Tandem in moribundis haec observantur , ait idem Lucretius ;

*In pedibus primum digitos livescere , et unqueis ;*
*Inde pedes , et crura mori , post inde per artus*
*Ire alios tractim gelidi vestigia leti ;*

Atqui nisi anima foret mortalis, intelligi non posset quomodo homo membratim moriatur ; Ergo etc.

§. 92. R. Ad singula. Et ad primum. Cum anima substantia sit tanto nobilior corpore , quanto nobilior est materiali spiritualis substantia , non unice propter corpus informandum , et regendum facta est , sed propter alios , et quidem excellentiores fines. *Factum est* enim *Corpus* , ajebat Auctor Libri de Spiritu et Anima ( Cap. LIV. ) *propter animam , anima autem propter Deum* ; unde dissoluto corpore , ad Deum redit , ut ipso fruatur , semperque vivat cum eo.

Ad II. Anima non dicitur substantia incompleta , quasi aliquid in ratione substantiae seu naturae ei deficiat ; est namque in se perfecta , et completa substantia ; quae nempe per se subsistit , nec alio indiget , cui inhaereat, ut existat ; sed dicitur incompleta ratione suppositi seu personae humanae, quia ad constituendum simul cum corpore unam personam humanam, a Deo est destinata. Ipsa proinde corpori copulatur, quamdiu cor-

pus aptum est instrumentum, ut ipsa functiones suas exercere possit; quando vero corpus dissolvitur, atque interit, cum ipsa per se subsistat, sitque substantia, alia a corpore (§. 22.), et natura sua spiritualis, vita vivit, atque immortalis existit.

Ad III. Homo carnalis, hoc est qui terram sapit; rebusque hujus mundi delectatur, nec aliud novit, vivere potius cupit, quam mori; non sic autem homo spiritualis, et sensatus, qui credit Legi Dei, et cui Lex Dei fidelis est; hic namque magis cupit a corporeis vinculis dissolvi, et esse cum Christo in altera vita, sciens, quae, quanta, et quam magna praeparaverit Deus in Coelo diligentibus se; et bona hujus mundi nihil prorsus esse in comparatione illorum bonorum, quibus Omnipotens largitor, in altera vita servos suos implet, satiatque. Quoad vero dolorem, et timorem in morte, id potius argumento est, aliam vitam post corporis mortem, pro anima superesse, quam contra. Si enim hoc non esset, in morte homines non conquerentur et dolerent; imo potius gauderent; nam vita excedendo, nihilque habentes, quod in altera vita vel sperarent, vel timerent, cessarent praesentis vitae doloribus affici, calamitatibus praemi, atque aliis molestis vicissitudinibus jactari; quod si timent, et dolent, dolent, quia moriendo, bona perdunt hujus mundi, quibus super omnia delectantur, et nesciunt quaenam sors ipsorum sit post mortem, nisi dicere velimus, ipsos, natura dictante; timere, ne pro malefactis supplicia subeant aeterna, per manus Dei justissimi judicis. Revera qui sunt; qui timent, et dolent cum jam sunt morituri? impii certe homines, et scelesti; justi autem, et innocentes non sic; hi namque laetantur potius in morte et gestiunt.

Ad IV. Tandem. Ideirco videtur homo membratim mori, quia cum corporis partes aliae post alias frigescant, atque ad vitales functiones exercendas ineptae reddantur, mens singulas, alias post alias relinquit; desinit nimirum in eas partes virtutem suam exercere, ipsa interim integra, et incolumis in sede sua perseverans, donec, toto corpore prae morbo labefactato,

ab eo ipsa recedat, tanquam a domo diruta, in qua habitandi commodum amisit (*a*).

## CAPUT III.

### *De animae essentia.*

§. 93. *Def.* 1. Per animam, hic intelligimus substantiam spiritualem (§. 49.), vi cogitandi praeditam, incompletam, regendo nempe corpori destinatam, atque tam naturaliter, quam Dei beneficio immortalem. (§. 61. 74.).

§. 94. *Def.* 2. Animae essentia nobis hic est, id per quod anima potius anima est, quam ens aliud ab ipsa diversum (§. 198. Ont.); seu attributum illud est, per quod anima ab alia quavis substantia discriminatur.

§. 95. *Coroll.* Attributum ergo illud, quod animae essentiam constituit, inter alios characteres, haec duo necessario habere debet, primum in anima concipi ita debet, ut sit in ea principalissimum, et ita quidem, ut ab ea reliqua omnia attributa, tanquam ex fonte, dimanent. Secundum, ut sit tale, per quod anima a reliquis substantiis discriminetur; ita quidem, ut eo intellecto, anima, et non aliud intelligatur.

§. 96. *Schol.* Porro quodnam sit attributum illud, per quod anima in suo esse constituitur, ut verum fatear, fere impossibile est nosse, et multo magis, determinare. Multa de eo scripsere Philosophi, sed quis eorum

---

(a) Consul. P. Fortunatus a Brixia, Metaph. P. II. Sect. II. Genuensis Metaph. T. I. Cap. I. Prop. XIV. XV. Tamagna Pneumat. Sect. I. Art. I. Altieri Metaph. P. III. Cap. II. Potestius Psych. Sect. I. Cap. III. Jacquier Metaph. P. II. Cap. I. Art. II. Sterchenau Psych. P. II. Sec. IV.

veritati accesserit, non tam facile apparet. Quoad nos, relatis aliorum Philosophorum placitis, breviter sententiam nostram aperiemus. Haec autem sunt

*Philosophorum placita.*

§. 97. Philo Judaeus (Lib. de mundi incorruptibilitate), in actuali motu, animae essentiam consistere dixit, quia, si animae ipsi perpetuum motum ademeris, ipsam quoque eximas rebus, ut amplius existere, vel comprehendi non possit. Renatus Cartesius, illam in actuali animae cogitatione constituit; uti ostendunt Huetius, Clericus, et Genuensis. Cartesio, Cartesiani fere omnes subscribunt, cum quibus praecipue Malebranchius, Claubergius, Silvanus Regis, et Antonius le Grand. Peripatetici vero cum Recensioribus permultis, tum in facultate, seu vi cogitandi reponunt. Harmonistae in vi repraesentativa Universi; et alii tandem in spiritualitate constituunt. Quid nos, ex sequentibus patebit. Interim

§. 98. *Def. 1. Vis cogitandi est ea animae facultas, qua ipsa cogitationem producit.* Cogitatio autem talis producta, dicitur *cogitatio actualis*; et duplicis est generis, nempe *stricte*, et *late* sumpta.

§. 99. *Def. 2. Cogitatio stricte sumpta est conscientia cogitationis, sive cogitationis cognitio*; cum scilicet advertimus nos cogitare.

§. 100. *Def. 3. Cogitatio late sumpta est quaecumque mentis actio, sive perceptio ea sit, sive imaginatio, sive volitio, sive nolitio, sive judicium, sive ratiocinium; sive pura objecti contemplatio, sive reflexio, sive apperceptio, sive sensatio quoque ipsa.* Ad rem Claubergius (Tom. II. Exercit. IV. n. 11.): « Mens » si vult cogitat, si non vult cogitat; si amat cogitat, » si odit cogitat; si affirmat cogitat, si negat cogitat; » si dubitat cogitat, si demonstrat cogitat. . . . vi» gilando cogitat, sentiendo cogitat, imaginando cogitat » etc. in qualibet ejus functione cogitatio involvitur ».

§. 101. *Coroll.* Sumpta itaque cogitatione, lato mox exposito sensu, non dubitamus cum Cartesio asserere,

animam humanam in perenni actuali cogitatione versari ; anima enim semper vivit , ( §. 74. ) , vita autem animae in agendo consistit ( §. 67. ) ; sed animae actio est cogitatio ( §. 100. ); Igitur etc.

## THEOREMA I.

*Cogitatio actualis non est primum in anima attributum , a quo reliqua ejus attributa dimanant.*

§. 102. *Demon.* Nam cogitatio actualis , est utique actio ; supponit ergo principium activum , a quo dimanat , jam existens , et in suo esse completum , ita ut operari possit secundum propriae naturae suae vires ; est effectus, qui caussam sui effectricem habet, jam in suo esse plane constitutam, operatio enim sequitur esse (§. 196. *Ont.* ). Ergo cogitatio non est primum etc. Q. E. D.

## THEOREMA II.

*Cogitatio actualis non est tale animae attributum , per quod ipsa a reliquis substantiis discriminatur.*

§. 103. *Demon.* Nam cogitatio actualis nedum animae propria est , sed et Angelorum ; ut enim anima, ita et Angelus cogitat ; et tamen Angelus , specie differt ab anima ; Ergo etc. Deinde sumpta actuali cogitatione pro quacumque animae actione , etiam sensatione ( §. 110. ); etiam Bruta animalia dicenda sunt cogitare ; sensatione namque ea esse instructa , nemo diffitetur ; nisi etiam dicere velimus , Bruta animalia , juxta hodie communiorem sententiam , cognoscere , percipere, intelligere ; per cogitationem ergo actualem , anima a Brutis non discriminatur ; Ergo cogitatio actualis etc.

# PROPOSITIO I.

*Animae essentia in actuali cogitatione nequit esse reposita.*

§. 104. *Demon.* Nam animae essentia in illo attributo est reponenda, quod in anima primo concipitur, et a quo reliqua animae attributa dimanant (§. 94.); Atqui tale attributum non est actualis cogitatio (§. 102.); ergo etc. Deinde attributum, quod animae essentiam constituit, tale esse debet, ut per ipsum, anima a reliquis substantiis discriminetur (§. eod.); atqui actualis cogitatio non est attributum hujusmodi (§. 103.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 105. *Coroll. 1.* Fallitur ergo Cartesius, dum in actuali cogitatione, animae essentiam ponit.

§. 106. *Coroll. 2.* Nec minus falluntur Peripatetici, animae essentiam in vi cogitandi reponentes. Vis enim cogitandi, sicuti et cogitatio ipsa, substantiam tali vi capacem supponit, jam existentem; et aeque animae, Angelo, et brutis convenit (§. 103.). Multoque magis

§. 187. *Coroll. 3.* Omnes illi falluntur, qui in spiritualitate, aut facultate sibi Universum repraesentandi eam constituunt; haec namque aliis quoque convenire, compertum est.

# PROPOSITIO II.

*Realis animae humanae essentia nobis est incomperta.*

§. 108. *Demon.* Nam juxta commune Philosophorum adagium, ex ideis, quas habemus philosophare de-

bemus ; Atqui ex ideis quas de anima , philosophantes habemus , realem ejus essentiam non perspicimus ; Ergo etc. Pob. min. Animam humanam considerantes , nihil aliud in ea constanter inspicimus , quam cogitationem actualem , vim cogitandi , atque spiritualitatem ; atqui nec in cogitatione actuali ( §. 104. ) ; nec in vi cogitandi ( §. 106. ) ; nec in spiritualitate ejus essentia posita est ( §. 107. ) Ergo etc.; Adeoque etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO III.

*Nominalis animae essentia in his proprietatibus reponi posse videtur ; quod nempe 1. sit substantia spiritualis ; 2. creata , vi cogitandi praedita , ac libertate donata ; 3. regendo corpori destinata.*

§. 109. *Demon.* Nam statim ac audio substantiam spiritualem creatam , vi cogitandi praeditam , et corpori regendo destinatam , statim animam humanam percipio , et nihil aliud. Per talia enim attributa , anima aliud non est , quam anima ; non est enim ens pure materiale , quia spiritualis est ; non est ens perfectissimum , nempe Deus , quia creata ; non est animal brutum , quia est intellectu , et voluntate praedita ; non denique est Angelus , quia regendo corpori destinata ; uno verbo , a reliquis substantiis discriminatur ; Adeoque etc.

# SECTIO II.

## *De animae origine.*

§. 110. Exposita huc usque, atque declarata animae humanae existentia, natura, atque essentia, ad ejus originem investigandam, opus est accedamus. Nostra namque plurimum hoc etiam refert, scire nempe, unde tam nobilis, et praeclara substantia, qua homo a rebus omnibus adspectabilem hanc rerum universitatem componentibus distinguatur, originem habeat; utrum scilicet (ut cum Sancto Hieronymo loquar » (Epist. inter Augustinianas 27. cap. 1.) lapsa de » Coelo sit, ut Pythagoras, omnesque Platonici, et » Origenes putant: an a propria Dei substantia, ut » Stoici, Manichaeus, et Hyspana Priscilliani haeresis suspicantur: an in thesauro habeantur Dei olim » conditae, ut quidam Ecclesiastici, stulta persuasione confidunt; an quotidie a Deo fiant, et mittantur in corpora, secundum illud, quod in Evangelio » scriptum est: *Pater meus usque modo operatur, et* » *ego operor*: an certe ex traduce, ut Tertullianus, » Apollinaris, et maxima pars Occidentalium autumarunt; ut, quomodo corpus ex corpore, sic anima » nascatur ex anima, et simili cum brutis animantibus » conditione subsistat. Sine namque hac cognitione, et obscura adhuc erit hominis dignitas, atque conditio; et plane praecepto illo: *Nosce teipsum*, non erit per nos satisfactum.

§. 111. *Schol.* Porro ad quinque reducuntur, de animae origine, Philosophorum opiniones. Prima est illorum, qui animas vel Deum ipsum, vel divinae substantiae partes esse dixerunt, aut ex hujus mundi anima excerptas. Secunda est illorum, qui animas per traducem de parentibus in filios haberi docent. Tertia est illorum, qui volunt, animas, creatas quidem fuisse, sed in Mundo intelligibili; postquam vero Mundus hic creatus fuit, in astris collocatas, a quibus, nescio ob quae scelera postea deturbatae, in corporibus, tam hominum, quam belluarum fuerunt detrusae, usquedum vel pro benefactis ad astra redeant, aut ad informanda corpora hominum excellentium destinentur, vel pro novis delictis, in corporibus viliorum pecudum immittantur. Unde illa celebris Veterum Metempsychosis enata fuit. Quarta est illorum, qui putant, animas omnes simul initio temporis à Deo fuisse creatas; sed ubi fuerint repositae antequam corporibus copulentur, inter se non conveniunt. Quinta tamen est illorum, qui sustinent, animas tunc a Deo creari, atque corporibus infundi, cum corpora in matrum utero, jam sunt perfecte organizata, atque ad vitales functiones exercendas idonea. In hac ergo Sectione, singulas praedictorum Philosophorum opiniones, distinctis capitibus discutiemus; et quid tenendum erit, non spernendis rationibus, firmare curabimus. Itaque.

## CAPUT I.

### *De prima Philosophorum opinione circa animae originem.*

§. 112. Prima circa animae originem opinio est Veterum quorumdam, qui teste Tullio (Lib. I. de nat. Deor. cap. II.), animam Deum esse dixerunt, et ex universa mente divina, animos esse delibatos: hinc Virgilius (Georgic. 4. Cecinit.

*Esse apibus partem divinae mentis, et haustus*
*Aethereas dixere. Deum namque ire per omnes*
*Terrasque, tractusque Maris, Coelumque profundum*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum*
*Quemque sibi tenuem nascentem arcessere vitam.*

In hanc quoque sententiam abierunt Caldaei, Ægyptii Stoici, Pythagoras, Priscillianistae, et praesertim Manichaei, qui, uti scribit Sanctus Augustinus (de Gen. ad litt. lib. VII., n. 17.) impie affirmabant, *esse animam ipsam Dei substantiam, atque id omnino, quod Deus est.* Ab his parum, aut ferme nihil discessit Benedictus Spinoza, qui asserere non erubuit (Eth. P. II. Prop. II. Coroll.) *mentem humanam partem esse infiniti intellectus, ac proinde cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanae mentis essentiam constituit; hanc illam habet ideam.* Nec ab eò dissentire videtur Petrus Poiretus, qui animam humanam, emanationem seu effluxionem quandam esse ex Deo, inscite nimis pronuntiavit. Expositae sententiae affinis multum est stultissima illa opinio, quae Platonis, et Orphaei vulgo creditur, et quam veluti e cineribus excitarunt, evulgaruntque supradictus Spinoza, et Tolandus; unde pestifera illa Secta enata est, quae Spinozismus, et Panthesimus appellatur, maximo Europae damno. Haec namque opinio tenet, Deum idem esse, atque hanc rerum universitatem, animasque hominum, particulas esse animae hujus Mundi, sive activae cujusdam substantiae per totam Universi materiam diffusae, quam Veteres *spiritum Mundi, principium hylarchicum, et animarum omnium fontem vocabant.* Verum quam pessime suas hi omnes confecerint argumentationes, mox clarissime apparebit. Interim.

§. 115. *Def. Dei nomine*, ex consensu omnium Philosophorum, *ens necessarium* (§. 241. Ont.) *intelligimus.*

§. 114. *Coroll. 1.* Deus ergo est ens a se (§. 242. Ont.), Simplicissimum (§. 282. ibi) indivisibile

( §. 271. ibi, ) infinitum ( §. 294. ibi ); unicum ( §. 500. ibi ); immutabile ( §. 291. ibi ); in omni genere perfectionis perfectissimum ( §. 327. ibi ), atque aeternum ( §. 411. ibi ).

§. *115. Coroll.* 2. Quidquid itaque est ab alio, mutabile, finitum etc., nec Deus est, nec Dei pars, attributum, aut modificatio esse potest; alias enim eadem substantia, attributis constaret, quae sibi invicem pugnant, quod esse nequit ( §. 102. Ont. ).

§. 116. *Postul.* Anima humana, singulis fere momentis, est sub diversis variisque perceptionibus, judiciis, ratiociniis etc., modo laetatur, modo dolet; modo vult, modo non vult etc. ( §. 16 ). Nihil est magis continua experientia evidenter comprobatum.

§. 117. *Coroll. 3.* Anima itaque est ens mutabile ( 237. Ont. ); Adeoque contingens, et ad alio ( §. 239. ibi ); quare ejus attributa nequeunt esse attributa entis necessarii, nempe Dei ( 247. ibi ). Ens namque necessarium, et contingens inter se contradictorie opponuntur ( §. 244. ibi ).

## THEOREMA I.

*Hominis mentem ex Universi anima decerpi, omnino repugnat.*

§. *118. Demon.* Nam dato, at non concesso, quod hujusmodi Universi anima existat, haec anima est ne spiritualis, an materialis? Si est spiritualis, cum partes extra partes non habeat, profecto, nulla pars potest ab ea divelli, ut anima hominis fiat; Si vero est materialis, cum partibus constet, nequit anima humana esse pars ejus; quia haec substantia spiritualis est, et quod spirituale est, nequit ex ente materiali produci; sed omnino per creationem haberi necesse est ( §. 414. Ont. ); Ergo etc. Q. E. D.

# THEOREMA II.

*Anima hominis nec Deus esse potest, nec Dei substantia.*

§. *119. Demon.* Si anima hominis esset Deus, vel Dei substantia, quae Deus ipse est, tot forent dii, quot animae ab initio Mundi extiterunt, existunt, et usque ad Mundi finem essent extiturae; atqui hoc absurdissimum est, et horribile auditu; cum Deus nonnisi unicus esse possit (§. 114.); ergo etc. Deinde si anima humana Deus esset, vel ejus substantia, attributa entis necessarii haberet; esset proinde a se, immutabilis, indefectibilis, infinita etc. (§. eod.); atqui anima humana est mutabilis, contingens, finita etc. (§. 117.); Ergo etc. Optime, et ad rem S. Augustinus contra Fortunatum Manichaeum scribens (Disp. 1. n. 14.); Si » quaeris, inquit, utrum a Deo descenderit anima, » magna quidem quaestio est, sed sive a Deo descen- » dit, sive non, illud de anima respondeo, non esse » Deum: aliud esse Deum, aliud animam. Deum esse » inviolabilem incorruptibilem, et impenetrabilem, et » incoinquinabilem; et qui ex nulla parte corrumpi pos- » sit, et cui nulla ex parte noceri potest. Animam vero » videmus, et peccatricem esse, et inaerumna versari, » et veritatem quaerere, et liberatore indigere. Haec » mutatio animae ostendit mihi, quod anima non sit » Deus. Nam, si anima substantia Dei est, substantia » Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei » violatur, substantia Dei decipitur: quod nefas est dicere; Adcoque etc. Q. E. D.

# PROPOSITIO

*Anima hominis nequit esse pars divinae substantiae.*

§. *120. Demon.* Si anima esset pars Divinae substantiae, divina substantia foret divisibilis, partibus constaret, essetque corporea; Atqui divina substantia est simplicissima, et spiritualis; (§. 114.); Ergo etc. Rursus quidquid mutabile est, finitum, et contingens, nequit esse pars Dei (§. 118.); Atqui talis est anima humana (§. 117.); Ergo etc. Tandem anima humana est substantia (§. 21.); si ergo esset particula a substantia Dei avulsa, Dei substantia, amittendo talem partem substantialem, essentialiter mutaretur; atqui divina substantia immutabilis omnino est (§. 14.); Igitur etc.. Et recte quidem *anima humana non est pars Dei* confirmat, quae hic adserimus Sanctus Augustinus, (Epist. 28. ad Sanctum Hieronymum cap. 2.). Si enim hoc » esset, omnimode incommutabilis, et incorruptibilis es- » set. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec pro- » ficeret in melius, nec aliquid in semetipsa vel inci- » peret habere, quod non habebat, vel desineret ha- » bere, quod habebat, quantum ad ejus ipsius affectio- » nes pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus » est extrinsecus testimonio. Quisquis semetipsum ad- » vertit, agnoscit. Frustra autem dicitur ad eos, qui » animam Dei partem esse volunt, hanc ejus labem, » et turpitudinem, quam videmus in nequissimis homi- » nibus, hanc denique infirmitatem, et aegritudinem, » quam sentimus in omnibus hominibus, non ex ipsa » illi esse, sed ex corpore. Quid interest, unde aegro- » tet, quae si esset immutabilis, undelibet aegrotare » non posset? nam quod vere incommutabile, et in- » corruptibile est, nullius rei accessu commutari, vel » corrumpi potest. Alioquin non Achillea tantum, si-

» cut fabulae ferunt, sed omnis caro esset invulnerabi-
» lis, si nullus ei casus accideret. Non est itaque na-
» tura incommutabilis, quae aliquo modo, aliqua cau-
» sa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est,
» nisi vere summeque incommutabilem credere. Non est
» igitur anima pars Dei; Adeoque etc. Q. E. D.

*Opposita argumenta solvuntur.*

§. 121. *Objic. I.* Ex nullo alio puriori fonte eruere possumus argumenta ad cognoscendam animae originem, quam ex Sacra Historia, in qua omnium hominum origo describitur; Atqui Sacrae Historiae manifeste testantur, animam primi parentis esse ejusdem Divinae substantiae; ergo falsa exposita Thesis. Prob. min. In Genesi (cap. I. v. 16.); volens Deus hominem condere, ita dixit de primo parente, et consequenter de ceteris hominibus: *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram;* quae quidem verba, de anima dicta fuisse, communis est Doctorum sententia. His ita praemissis, en in forma argumentum. Primi parentis anima, Sacris in Historiis facta dicitur ad imaginem, et similitudinem Dei: Atqui, nisi sit ejusdem Dei substantiae, Dei imago, et similitudo dici nequit; ergo etc.

§. 122. R. Conc. maj. in sensu explicando; n. min. et consm. Me sane non latet varias esse Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum allati testus expositiones, at scio pariter, nullam inveniri, quae adversariis favere possit. Consulantur Patres tum Latini, cum Graeci, et ipsi quoque Hebraei audiantur, videamusque quid per verba illa, *ad imaginem, et similitudinem nostram*, intelligant ipsi. En primo Origenes ex Latinis, qui primi parentis animam ad Dei imaginem factam esse ait, propter immortalitatem, quam natura sua obtinet. En Divus Ambrosius, qui Dei similitudinem in anima, in libertate qua praedita est, consistere asserit. En, ut alios praetereamus, Divus Augustinus, qui Animam Dei imaginem esse affirmat, ratione indivisibilitatis, et spiritualitatis, non verò ratione substantiae. Ex Graecis autem, en Gregorius Nyssenus, qui animam Dei ima-

ginem moraliter tantum esse, inquit, quatenus scilicet est capax scientiae, sapientiae, virtutis, beatitudinis, visionis Dei, aliarumque virtutum. Tandem, ne taedio simus, en Damascenus, qui non aliam, inquit esse in anima, Dei imaginem, nisi quod designetur per eam, Dei unitas, et Trinitas Personarum; quatenus nempe, anima una in se est, et tres habet naturales potentias, intellectum scilicet, memoriam, et voluntatem. Jam quaeso quid ex his interpraetationibus possunt adversarii, pro causa quam perdite agunt, eruere? nihil certe. Sed neque ex Hebraeorum expositionibus, aliquid expectandum ipsis est, quo laudato testimonio, opinionem suam fulciant. En sane quod Hebraei habent super testimonium illud. Anima, inquiunt ipsi, dicitur imago Dei, primo, quia sicuti anima replet totum corpus, ita Deus totum Mundum; 2. quia sicuti Deus Unicus est in Universo, sic anima unica est in suo corpore: 3., quia sicuti Deus non inquinatur sordibus Orbis, sic neque anima sordibus corporis; 4. tandem, quia sicut Deus videt omnia, et non videtur, sic anima videt omnia, et non videtur. Atque istae sunt Hebraeorum expositiones in illud Scripturae testimonium: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, quae certe, ne vel minimum quidem adversariis favent; adeoque, quoad aliud omne, ut supra, non vero quoad ipsam Dei substantiam, homo ad Dei imaginem factus dicendus est.

§. 123. *Contra.* Atqui anima ita dicitur facta ad imaginem, et similitudinem Dei, ut sit ejusdem Dei substantiae; Ergo n. r. Homo, eo Geneseos loci, per animam rationalem, ita dicitur factus ad imaginem, et similitudinem Dei, ut praesit piscibus maris, et volatilibus Coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra; Ergo etc.. Prob. consa. Vera dominii ratio super Terram solius Dei proprietas est; atqui per recensita Scripturae verba, etiam primo homini tradita fuit vera dominii ratio super universam Terram quoad volatilia, quoad bestias, et quoad omne quod movetur in terra; ergo etc.

§. 124. R. dist. maj. Vera dominii ratio suprema

tamen, independens, et perfectissima super terram etc., conc. maj.; secus, n. maj.; atqui etc., dist. min., atqui etc., dominii ratio, sed tamen dependens, participata, et valde imperfecta etc., conc. min.; secus, n. min., et consm. Homo secundum illam rationem debet habere dominium super universam terram, secundum quam factus dicitur ad imaginem Dei; at vero dicitur ad imaginem Dei factus imperfecte tantum, ut ex dictis (§. 122.) patet; Ergo imperfectum quoque habet super terram dominium; et quidem dependens, et participatum ratione conceptus creaturae ipsius. Quod autem ratio dominii in homine fuerit imperfecta, constat ex sequentibus verbis ejusdem Capitis (V. 28.), ubi eadem ac superius (V. 26.) leguntur verba: *et dominamini*, dixit Deus primis parentibus, *piscibus maris, et volatilibus, et universis animantibus, quae moventur super terram; ut habeant, scilicet*, quemadmodum verba isthaec exponit doctissimus Lyranus ex Beda: *dominium omnium creaturarum in inferiori parte Mundi: idest in iis dumtaxat, quae sunt super terram, non autem, quae sunt etiam in Coelis.* Porro, si anima rationalis, Dei foret substantia, homo utrumque haberet dominium, in terris scilicet, et in Coelis. Neque ejus dominium imperfectum foret, et dependens, posita adversariorum sententia; in hac quippe hypothesi eadem Dei substantia imperfecta foret, et perfectissima, dependens simul, et independens: quod sane in Deo cadere nequit.

§. 125. *Contra.* Atqui homo ita dicitur factus ad imaginem Dei, ut habeat quoque supremum dominium; Ergo n. r. Prob. subsm. Quia, alibi, in divinis litteris, Verbum divinum imago Patris dicitur, ita imago Patris est, ut habeat quoque supremum dominium; Ergo pari jure, quia laudato Genescos versiculo, homo dicitur factus ad imaginem Dei, ita dicitur factus, etc., Atqui subsumo, quia Verbum Divinum dicitur Patris imago, et habet supremum dominium, est ejusdem Patris substantiae; Ergo pari ratione, quia homo dicitur factus ad imaginem Dei, et habet supremum dominium; ejus anima de Dei substantia censenda est.

§. 126. R. n. causalem antis ; et quidquid inde infertur. Non praecise quia Filius est Patris imago, deducitur, ipsum esse supremum Dominum, et ejusdem Patris substantiae. Si namque istud verum foret ; ergo inferre quis legitime posset ab opposito, quia Spiritus Sanctus Patris imago non dicitur, jam ipse non est dicendus Patri Filioque consubstantialis, quae quidem consequutio nec est, nec potest esse recta ; quin imo impia prorsus est. Filius ergo dicitur imago Patris, quia ab ipso procedit per intellectum, cui ex sui natura competit assimilari. Paraclitus autem, quia procedit per voluntatem, quae liberum principium est, non naturale, de sui natura non est assimilativa. Et quamvis Paraclitus non dicatur Patris imago sicuti Filius, uterque tamen una cum Patre eamdem habet individuam naturam. Porro Filium esse de eadem Patris substantia, ex eo patet, quod numquam dicatur factus, bene vero genitus a Patre. At vero anima rationalis, laudato Geneseos loco dicitur facta ad imaginem Dei. Neque de ratione imaginis est, ut id quod alicujus dicitur imago, sit de eadem substantia ejus, cujus est imago. Sic imago Caesaris, quae in tabula aurea, vel argentea reperitur, perridiculum esset, et inauditum, si diceretur, quod sit de eadem Caesaris substantia, sed dicitur Caesaris imago, quia quoad exteriores circumstantias, Caesarem ipsum repraesentat. Sic quoque anima dicitur imago Dei quoad quasdam proprietates valde imperfectas, uti diximus. Quamvis igitur Filius dicatur Patris imago, et anima facta sit ad imaginem Dei ; ex hoc tamen non recte infertur, tum Filium, tum Verbum Divinum, cum animam humanam esse supremos Dominos, et de eadem Patris, ac Dei substantia.

§. 127, *Objic II.* Ex eadem Sacra Historia. In Genesi ( cap. 2. v. 7. ) habetur, Deum inspirasse in hominis faciem spiraculum vitae, quod spiraculum, nihil aliud est, quam anima humana, ergo anima humana est pars divinae substantiae. Prob. min. Spiritus hominis, seu spiraculum vitae, juxta Geneseos testum, est halitus, et afflatus Dei ; atqui Dei halitus est ex sub-

stantia Dei ; ergo ex substantia Dei anima rationalis producta est.

§. 128. R. dist. maj. Spiritus hominis productus est ex nihilo, do majorem ; Spiritus hominis est afflatus substantiae Dei , n. maj.; et dist. min.; sed Dei halitus est ex substantia Dei, idest a Deo creatus, n. min.; spiritus datus a Deo, idest Spiritus Sanctus est ex Dei substantia , procedens scilicet a Patre , et Filio , qui sunt una eademque substantia conc. min. ; ergo etc. , n. consm. Halitus iste a Deo productus , vel ejusdem est naturae cum Deo , vel diversae. Si diversae ; ergo Deus eum ex nihilo produxit; adeoque et animam , quae per hunc halitum designatur. Si vero halitus iste sit ejusdem cum Deo naturae , jam non de nihilo facit , sed trahit ex seipso, adeoque halitus iste , Deus est , quoniam ejusdem est substantiae , et naturae cum Patre , et Filio ; ergo et anima humana Deus erit , si de nihilo non est producta , sed ex ipsa Dei substantia decerpta ; adeoque tot erunt Dii , quot sunt animae , quod est absurdissimum.

§. 129. *Contra* ; Atqui dum dicitur laudato Geneseos loco , Deum vitae spiraculum Adae infudisse , ita intelligi debet spiraculum illud , ut sit particula divinae substantiae ; ergo n. r. Prob. subsm. Ita sentiendum est , quoties ex aliis Scripturae locis , idipsum mirifice comprobetur; atqui comprobatur ; ergo etc. Prob. min. Minitans Deus se deleturum hominem a facie terrae , propter peccata , quae abundabant , dixit ( Gen. cap. XVI. ) *non permanebit spiritus meus in homine ;* quasi diceret, non permanebit amplius anima, quae spiritus meus est , hoc est substantia mea , quia homo voluptatibus carnis inquinatus , atque deditus , dignus non est , qui amplius copuletur substantiae meae ; Ergo etc.

§. 130. R. Quam pessime Spinoza , et Tolandus Scripturae loquutionibus abuti soleant, ut propria inventa stabiliant : nemini ignotum esse puto. Hoc vel maxime patet in praesentiarum, afferendo testum laudatum Geneseos, quasi probaret , mentem humanam particulam esse divinae substantiae , quod nemini Catholicorum venit in mentem. Sane verba illa : *non permanebit*

*spiritus meus in homine*, indicant, Dei iram in sempiternum super homines non mansuram, sed brevi per correctionem duraturam. Sumitur nempe spiritus Dei per tropum, pro ira Dei, ut familiare habent Sacrae literae. Quare ea verba non referuntur ad spiritum hominis, quasi hominis sit spiritus Dei, vel Dei substantia. At demus, etiam, verba illa referri ad spiritum hominis, quid inde pro Spinoza, et Tolando? nihil certe. Nam optime spiritus hominis spiritus Dei dici potest; ipse enim Deus fecit eum, atque ex nihilo produxit, hinc Dominus ejus est.

§. 131. *Contra*; Atqui laudatae Scripturae loquutiones, clare, distincteque demonstrant, mentes humanas esse divinae substantiae particulas; Ergo n. r. Prob. subsm. Laudatae Scripturae loquutiones, demonstrant, Deum inhabitare in aliquas substantias hujus Mundi; atqui talis substantia, in qua inhabitat Deus, est particula substantiae ipsius Dei; ergo etc. Prob. min. Deus non potest inhabitare, nisi in se ipso; atqui in substantias allatas inhabitat Deus, uti patet ex adducto testimonio; ergo talis substantia, in qua inhabitat Deus etc.

§. 132. R. dist. maj. Deus etc., si loquimur de inabitatione substantiali etc., conc., secus, n. maj., atqui etc., dist. min., tanquam in propria substantia, n. min., tanquam in termino suarum operationum, quas ad extra, sive ad creaturas exercet, conc. min.; et n. consm. Paucis rem totam concludamus. Cum enim Deus sit ubique diffusus, mentibus, sicut et ceteris rebus est immediate praesens, prohibetve, ne in nihilum, ex quo productae fuerunt, iterum regrediantur; quod cum praestat, eas conservare dicitur; atque inhabitat in substantias praedictas, tanquam in termino suarum operationum ad extra, quae sola ipsius voluntate fiunt. Atque haec, similisque est inhabitatio divina in humanam mentem, non illa, quam supponunt adversarii in argumento.

*Aliae difficultates soluta oratione.*

§. 133. Et prima. Nos in Scripturis dicimur esse genus Dei; ergo anima nostra est ex Dei substantia.

II. Post hominis mortem, anima separatur a corpore, anima spiritualis redit ad Deum, corpus materiale in terram revertitur; ergo si corpus in terram revertitur, quia de terra sumptum est, anima ad Deum redit, quia de Dei substantia sumpta est; adeoque etc.

III. In Deo vivimus, movemur, et sumus; Ergo de Dei substantia sunt animae nostrae.

IV. Tandem: Ideo negatur, animam esse partem divinae substantiae, quia si hoc esset, Dei substantia discerperetur, quod fieri nequit; atqui id non evenit; ergo etc. Prob. min. Cum de una lucerna, altera accenditur, integrum manet illius lumen; ergo cum de Dei substantia anima exurgit, integra illa manet, nec discerpitur; et conseq. etc.

§. 134. R. ad singulas. Et ad I. Nos non dicimur Dei genus, et de ejus progenie, quatenus de ejus substantia efformati simus, sed quia per fidem, et charitatem, qua Deo conjungimur, potestas nobis data est, ut filii Dei nominemur, et simus; atque ad ipsum cum omni fiducia, veluti filii dilectissimi accedere possimus, misericordiam, gratiam, et omnia bona consecuturi.

Ad II. Spiritus hominis post corporis mortem, non dicitur, quod redeat ad Deum, veluti ut divinae substantiae conjungatur, a qua veluti pars quaedam fuerat avulsus, ut copularetur corpori; sed quia corpori superstes, et immortalis, ad Deum redit, qui ipsum creavit, ut ab eo sive pro benefactis praemia, sive pro delictis poenas recipiat.

Ad III. Vivimus nos utique, movemur, et sumus in Deo, non quatenus ejusdem Divinae substantiae sint animae nostrae, sed quia Deus est caussa primaria creatrix, et conservatrix caussarum omnium secundarum, sine qua omnia in nihilum redirent.

Ad IV. Tandem; ideo lucernae lumen integrum manet dum ab ea altera accenditur lucerna, quia ejusdem est specificae naturae cum eo, licet non numericae; sicuti si ex aliquo toto ligno frustum ligni abscindatur, integra manet natura totius ligni. At nisi dicere velimus ejusdem speciei omnes esse animas humanas cum

Deo, dicendum erit, animam non esse particulam divinae substantiae, vel si foret, Deus esset divisibilis.

## CAPUT II.

### *De Traducianismo, altera scilicet Philosophorum opinione circa animarum originem.*

§. 135. *Def.* Traducianismus est opinio, qua tenetur, hominum animas per traducem haberi, seu de parentibus in filios propagari.

§. 136. *Schol.* Animas humanas a parentibus in filios traduci, multiplici in sensu accipi potest. Primo prout tota anima patris, generatione in filios transeat; secundo, prout anima filii ex anima patris, tanquam illius pars oriatur; tertio prout anima filii a corpore patris producatur, quomodo ab eo filii corpus traducitur; quarto tandem, prout ex anima patris aura quaedam, vel nescio quod semen habeatur, quod una simul cum illo corporeo a patribus in filios traducatur. Quocumque autem sensu id accipiatur, in Traducianorum sententia, animae hominum, non creantur immediate a Deo, sed per generationem a parentibus in filios traducuntur. Verum, sit ne id admittendum, variae sunt.

### *Auctorum sententiae.*

§. 137. Primus, qui de Traducianismo opinionem, amplexatus est, eamque promovit, fuit Tertullianus Carthaginensis, sub initio saeculi tertii. Vir sane eruditus, et primo Ecclesiae Catholicae propugnator, verum postea, ex lectione librorum Montani, in illius errores prolapsus, inter alia, quae tenuit, hoc illi solemne fuit, uti testantur Sanctus Hieronymus, et S. Augustinus; animas hominum, de parentibus in Filios, nepotesque traduci, ita ut in ejus sententia, Adami anima sola a

Deo fuit creata, ab Adamo autem nata est anima filii; et sic per filios, et nepotes reliquae propagatae fuerint, atque etiamnum propagantur. Idipsum sensit Apollinaris; et hoc idem, tunc temporis, maxima pars Occidentalium opinabatur; reliqui vero aut contrarium sentiebant, aut ambigui erant; et ita quidem, ut usque ad IX. saeculum a Christo, concertatio de Traducianismo adhuc inter Patres ipsos indefinita jacuerit; En revera, quomodo de ea scribit Sanctus Prudentius Episcopus Tricassinus (lib. de praedes. adv. Joan. Erigenam cap. 16.), qui laudato saeculo floruit: « Nascitur de carne caro, sed utrum haec anima nascatur, magna quaestio est, et a Patribus diu multumque discussa, sed absque certa definitione relicta; constat id quam maxime ex mente omnium Patrum, qui temporibus illis degebant ». Hinc non desunt, qui Augustinum ipsum in Tertulliani sententiam, hac super re abiise, non dubitarunt asserere; at immerito quidem. Nam scribens de hac re Sanctus Doctor ad Optatum (Epist. 190.) iniquit. « Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri ». Cum ergo ipse spirituales esse animas, constanter doceat, Traducianismo utique, laudatis verbis, adversatur. Jam vero sententiam hanc plane obsoletam, et oblivioni traditam, denuo excitavit, atque in medium produxit Daniel Servetus Medicus Wittembergensis (in Hyponemate Physico). Ejus autem hoc est systema. Ponit ipse cum Scholasticis omnibus, hominis corpus primum in utero ex seminibus utriusque parentis commixtis; porro semina illa animata sunt, et quidem parentum anima; fit exinde, ut quemadmodum corpus est pars (proprie partem dici non posse, ait) animae parentum. Verum nihil effingi potuit absurdius; quod ut evidentius pateat, sit.

# THEOREMA I.

*Totam animam Patris in filium propagari, absurdissimum est.*

§. 138. *Demon.* Nam si anima Patris tota in filium propagaretur; aut Pater relinqueretur prorsus sine anima, aut una, et eadem esset omnium hominum anima: si Pater relinqueretur prorsus sine anima, in filii generatione utique moreretur Pater, hinc alios filios procreare non posset; undenam enim animas acciperet quas in filios transmitteret, si etiam ipse anima careret? imo in hac hypothesi, unus semper homo, et non plures esse possent in Mundo, quod est falsissimum. Si vero una, eademque foret ominum anima, jam vel eadem omnes cogitarent, et scirent, vel non; si primum; ergo omnes homines easdem ideas habere deberent, easdem virtutes excolere, vel iisdem vitiis inquinari; nulla res alterius, alteri deberet esse ignota, et omnes sicuti uniformiter cogitarent, ita et operarentur; cum enim anima spiritualis unica sit, atque indivisibilis, et tota cogitet, quod in uno agit, in omnibus agere deberet; si secundum; Ergo eadem anima sibimetipsi contradiceret, et a continuis sibi invicem contradicentibus cogitationibus discerperetur; esset namque, idem simul sciens, et nesciens; volens, et nolens, diligens, et odio habens; sed utrumque hoc absurdissimum est, et abhorret animus, vel solum illud innuere; ergo etc. Praeterea si anima foret eadem et una in omnibus hominibus, cum inter homines alii justi sint, alii peccatores; eadem anima et justa simul esset, et peccatrix, pia, et impia; a Deo dilecta, et odio habita; praemio simul, et supplicio digna. Cumque morientes homines, alii, quia justi in Coelum recipiuntur, sempiterna felicitate cum Deo fruituri;

alii, quia peccatores, et impii in infernum detruduntur, sempiterna supplicia, et poenas subituri, eadem anima esset in Paradiso, in Inferno, et simul in hoc Mundo in hominibus viventibus. At quis audiens haec temperet a risu, ne dicam ab ira? Igitur etc.

## THEOREMA II.

*Anima filii nequit esse pars animae Patris per traducem in filii corpus propagata.*

§. 139. *Demon.* Nam si hoc esset, anima Patris foret in partes divisibilis; hinc materialis, et corporea; (§. 270. Ont.); Atqui anima humana est simplicissima et spiritualis (§. 39.); Ergo etc. Q. E. D.

## THEOREMA III.

*Anima filii a corpore Patris nequit ullo pacto traduci.*

§. 140. *Demon.* Nam anima est spiritualis, corpus est materiale; atqui ex ente materiali, et composito nequit ens spirituale produci; nam alias effectus esset nobilior caussa sua, et caussa effectum produceret, cujus nullam in se haberet rationem sufficientem, materiale quippe, et spirituale invicem contradictorie opponuntur (§. 274. Ont.); et unum non potest in altero contineri; ergo etc. Q. E. D.

# THEOREMA IV.

*Ridiculum est asserere, per auram, vel semen quoddam animae Patris, traduci animam in filium.*

§. 141. *Demon.* Nam aura isthaec, vel semen animae Patris, aut est anima ipsa, quae in filium traducitur, aut vehiculum solummodo, quo transfunditur anima? si est vehiculum tantummodo, unde ergo se habet anima filii, per generationem a Patre? forsan ex anima ipsius Patris? neutiquam certe (§. 139.); forsan ex facultate, quam habet Pater animam producendi? ne quidem; anima enim, cum sit spiritualis, nec possit oriri, nisi per creationem (§. 402. Ont.), non potest a Patre, qui est finitae virtutis, produci (482. Ont.); si est anima ipsa; quaerimus: aura isthaec est substantia spiritualis, an materialis? inter haec namque non datur medium; si est spiriualis, non potuit, ex dictis, per generationem, aut creationem haberi a Patre; si materialis; igitur non est utique anima hominis, quia haec omnino spiritualis est; Ergo etc. Q. E. D.

# PROPOSITIO

*Animae nullimode possunt a parentibus in filios traduci.*

§. 142. *Demon.* Nam tota anima Patris nequit in filium traduci (§. 138.). Anima filii neque ex anima Patris, tanquam illius particula (§. 139.); neque ex corpore Patris potest traduci (§. 140.); neque tandem traduci per auram animae Patris (§. 141.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 143. *Objic. I.* Homo hominem generat; sed homo ex anima, et corpore intrinsecus coaleseit; ergo homo generat tum corpus, cum animam; ac proinde quemadmodum corpus ex corpore; ita anima ex anima propagatur.

§. 144. R. Conc. maj., et min., n. ambas consas: Nam vere, et proprie dicitur homo hominem generare, tametsi anima non producatur ab homine, sed inspiretur a Deo; nam generatio non habet pro objecto suo productionem formae, vel materiae, bene vero compositi. Proinde, qui animam cum carne conjungit, is vere hominem facit. Conjungit autem anima cum carne, is qui materiam ita disponit, ut infallibiliter anima consequatur, id quod facit homo per generationem; homo igitur hominem per generationem vere producit, undequaque existat anima.

§. 145. *Contra.* Atqui ut homo vere, et proprie generans dicatur, oportet, ut per se immediate unionem mentis, et corporis attingat, ita nimirum, ut tum corpus, cum animam producat; ergo n. r. Prob. subsm. Ut homo vere, et proprie generans dicatur, oportet, ut suam essentiam genito communicet; ut communicet genito suum corpus, suamque animam; Ergo ut homo, etc.

§. 146. R. n. ans. Nam etiam ignis ignem vere, et proprie generat, neque tamen igni genito suam essentiam communicat, nimirum suam materiam, suamque formam, cum potius materia praesupponatur, forma vero in materia praecontineatur; neque aliud in generatione fiat, quam illius exolutio. Similiter ergo cum homo hominem generat, gignendo, homini suam essentiam nequaquam communicat; neque scilicet suum corpus, neque suam animam, sed corpus quidem, in matris ovario involutum praecontinetur, anima autem a Deo creatur; neque aliud efficit homo generatione, quam cor-

pusculi illius partes evolvere, illudque aptum reddere ad vitae munia obeunda, quo proxime fiat idoneum ad animam recipiendam.

§. 147. *Contra.*; Atqui ut homo hominem vere, et proprie generet, oportet, ut genito suam essentiam communicet, nimirum suum corpus, suamque animam; ergo n. r. Prob. subsm. Cum homo generat, producit sibi simile secundum essentiam; sed non posset producere sibi simile secundum essentiam, nisi genito propriam essentiam communicaret, nimirum suum corpus, suamque animam; ergo ut homo etc.

§. 148. R. dist. maj. Cum homo etc., producit sibi simile secundum essentiam principaliter, n. mai.; dispositive, conc. maj.; sed etc. principaliter, conc. min.; dispositive, n. min.; ergo etc.; n. consm. Homo quidem generans, sicuti et cetera entia generantia, producit sibi simile secundum essentiam, nempe hominem; at vero necesse non est, ut producat principaliter; ut scilicet ipsum hominis gignendi corpus, ipsamque animam gignat, sed sufficit si producat dispositive; si nimirum eas dispositiones inducat in humanum corpusculum jam praexistens, et in ovario feminco contentum, ut ipsi postea, ex lege naturae, infundatur, uniaturque anima rationalis, sicque componatur homo, neque aliud profecto in generationis negotio efficere valet homo generans, si tota humanae generationis oeconomia perpendatur. Vis namque tota, qua ad opus generationis habendum, utitur homo, tota consistit in ponendo eo, quod ad corpusculi organici partes explicandas, atque evolvendas requiritur.

§. 149. *Objic. II.* Omnes hominum animae, quae fuerunt, quae sunt, et erunt, ab una Adami anima sunt propagatae per traducem, propagantur, et propagabuntur; ergo falsa propositio. Prob. ans. Omnes homines, ut nos docent Scripturae, ab Adam suam habuerunt originem; ergo ab ipso propagatae sunt quoque omnes animae. Adeoque etc.

§. 150. R. dist. ans. Omnes homines ab Adam etc., quoad corpus, conc., quoad animam, n. ans.; ergo etc., n. consm. utramque. Licet in Sacris Scriptu-

ris legatur, ab Adamo omnes homines originem duxisse, nihilominus hoc ita intelligendum est, omnes nempe homines, quoad corpus tantum, non vero quoad animam quoque ab Adamo descendisse, quia anima, utpote spiritualis, nequit ab alio quocumque homine generari (§. 141.)

§. 151. *Contra*. Atqui omnes homines originem habentes ex Adamo, ab ipso progeniti sunt, non tantum quoad corpus, sed etiam quoad animam; ergo n. r. Prob. subsm. Et ut clarius procedat argumentum, Librum generationis hominum consulamus. Geneseos (cap. V. v. 3.) habetur: *Vixit autem Adam centum-triginta annis, et genuit ad imaginem, et similitudinem suam*. Quo posito Scripturae testimonio, en argumentum. Adam, cui similis ejus proles laudato loco dicitur; non solum ex corpore, sed etiam ex anima coalescit; ergo ad imaginem etc. non solnm etc., sed etiam etc. Prob. consa. Imago, et similitudo filiorum Adae, non solum relucent in Adamo quoad corpus, sed etiam quoad animam; imo maxime quoad animam; cum anima sit hominis pars praecipua; ergo si eos genuit ad imaginem suam, non solum quoad corpus etc., sed etiam quoad animam etc.

§. 152. R. n. consam. Adam genuit utique posteros suos ad imaginem, et similitudinem suam, at solum quoad corpus, non vero etiam quod animam; sufficit enim, ut quoad corpus habeatur haec imago, et similitudo, ut proles ejus, similis ei esse dicatur; etsi vero corpus non sit hominis pars princeps, ea tamen est, quae in homine nobis immediate occurrit, quaeque sola, cum hominem intuemur, a nobis conspicitur; et sicuti statua dicitur opus artificis, quamvis nonnisi quoad formam a statuario dependeat, ita Adam homines genuisse ad imaginem, et similitudinem suam dicitur, etsi corpus tantum ab ipso per generationem illi habuerint.

§. 153. *Contra*. Atqui Adam gignendo ad imaginem, et similitudinem suam, non solum quoad corpus, sed etiam quoad animam generare debuit; ergo redit argumentum. Prob. subsm. Adam gignendo filios ad imaginem etc.; debuit multiplicare speciem suam;

atqui ratio speciei, seu specifica hominis habetur ab anima: ergo generare debuit, non solum etc.

§. 154. R. dist. min. Sed ratio speciei etc., habetur ab anima tantum. n. min., secus conc. min.; ergo etc., n. consam. Licet Adam debuit multiplicare speciem homlnis, non est inde necesse, quod et animas generaret una cum corpore. Pro certo enim haberi debet, Adam sicuti quemcumque alium Patrem, vere dici posse multiplicare speciem, corporis tantum naturam disponendo, ad cujus dispositionem Deus animam corpori copulet, et homo resultat, licet Pater animam non generet.

### *Objectiones aliae extra formam.*

§. 155. Et I. Si per traducem de Patre in filium, anima non propagaretur, intelligi non posset quomodo peccatum originale in omnes Adae posteros transfundatur; ergo etc.

II. Si anima non per traducem, sed aliunde in corpus inferretur, quaelibet anima quodlibet corpus ingredi posset; sed hoc est falsissimum; ergo etc.

III. Tandem. Si anima non haberetur per traducem, Deus injustus foret; 1. quia animam innocentem peccato afficeret: 2. esset cooperator iniquorum hominium, qui adulteriis inquinantur; quippe dum illi ad corpora efformanda concurrunt, ipse animas fabricaretur; 3. omne id, quod in anima defectus est, Deo foret tribuendum. 4. Quia purus spiritus nihil habens cum carne commune, a carne ipsa maculatur; Ergo etc.

§. 156. R. ad singulas. Et ad 1. Tantum abest, ut in Traducianorum sententia facilius intelligatur quomodo peccatum originale in omnes Adae posteros transfundatur, quin potius oppositum plane erueretur. Posito namque quod per traducem propagentur animae de parentibus in filios, nullus (ut alia taceam) infans, qui de Christianis parentibus oritur, deberet hunc Mundum ingredi cum peccato originali. Nam Christiani

parentes, cum per Baptismum non amplius habeant in anima peccatum originale, in filiorum procreatione, peccatum hujusmodi originale, cum non subsistat, non posset, per eos in filios propagari. Filii ergo Christianorum absque culpa originali, et innocentes nascerentur. Quod si peccatores nasci deberent, potius peccatis actualibus parentum, quae illi fortasse in anima habent, quam originali peccato inquinati orirentur; quin etiam virtute ornati, qui a justis, et piis parentibus ortum ducunt. Aliunde peroptime originalis peccati in Adae posteros transfusio explicatur, quin anima, in qua ipsum residet, per traducem propagetur. Audiatur hic Auctor libri de Spiritu, et Anima (cap. 41.), qui ex eo animam corrumpi, inquinari, et maculari ostendit, quia corruptae carni conjungitur. « Certum tenemus, *en ejus verba*, quia caro contracta de » carne per legem concupiscentiae, quam cito vivificatur, originalis culpae vinculo praemitur, ejusque » affectionibus anima, quae carnem vivificat, aggravatur. Sub hoc peccati vinculo demerguntur parvuli, » qui sine rimedio Baptismi moriuntur. Habent enim » originale peccatum, non per animam, sed per carnem utique contractum, animacque refusum. Carni » namque ita unitur anima, ut cum carne sit una » persona, fit enim auctore Deo, anima et caro unum » individuum, unus homo; unde salva naturae utriusque » proprietate, adjicitur carni, quod animae est, et a» nimae quod carnis est, pro unitate personae, non » pro diversitate naturae. Quod igitur ibidem singulis » est proprium, commune fit amborum; proprium pro » natura, commune pro persona. Exinde fit anima » originali culpae obnoxia, quod caro contrahit, et » animae refundit, cum qua unita est in persona, » licet diversa in natura » Necesse igitur non est ad Traducianorum systema recurrere, ut intelligatur clarius, quomodo peccatum originale in omnes Adae posteros transfundatur.

Ad II. R. n. propnem. Quod enim liberum non sit menti quodlibet corpus ingredi, id dependet ex sui natura, quatenus scilicet est forma corporis essentialis;

est enim talis numero forma, quia ad tale numero corpus informandum ordinatur.

Ad III. tandem. Dico primo cum Augustino, illud non esse Deo tribuendum; semen enim, licet electissimum, si in terram spargitur, frumentum generat cum paleis, et aristis, absque tamen seminantis defectu; Ita etiam dicendum est in casu. Animadvertendum enim est (atque haec sit responsio etiam tertiae rationi in argumento allatae), duo esse in hominis productione distinguenda; nimirum id quod est naturae, et id quod est vitii; cum igitur Deus animam in corpore infundit, concurrit ad primum; minime vero ad secundum; quia primum est effectus, secundum vero defectus. Ad secundum dico, quod Deus concurrit ad actionem naturalem generationis humanae, quod utique bonum est; non vero ad id quod est contra legem; id namque creaturae defectibilitati est tribuendum, cum Deus deficere nunquam possit. Ad quartum tandem dico, quod sicuti Deus injustus non fuisset, si Adamo non peccante, omnes posteri salvarentur; et hoc ideo quia moraliter in Adami voluntate omnes continebantur, ob eamdem rationem injustus non est, si spiritus carni conjungitur, et maculatur.

## CAPUT III.

*De aliis Philosophorum opinionibus circa animarum originem.*

**§. 157. Ex his quae usquemodo tractavimus, invictissime demonstratum manet, animam humanam a Deo solo creari. Est enim simplicissima, et spiritualis substantia, quae neque est pars divinae substantiae, neque per generationem oriri potest, sed omnino ex nihilo educi, et quidem ab ente infinita vi praedito. At si creata, quando a Deo creatur? Istud, utique**

scitu difficillimum, est quod hic discutiendum assumimus; et de quo, haec sunt.

*Philosophorum opiniones.*

§. 158. Plato namque, longe multo ante corpora, animas a Deo creatas esse asserit; postea vero *cum universum* (Deus) *constituisset* (sunt ejus verba in Thimaeo), *Astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tanquam vehiculo compositis, monstravit Universi naturam.* Pro temporum tamen opportunitate, et corporum productione, eas ad corpora informanda, ab Astris in terris fuisse docet, atque ex iis iterum discedere, asserit, et sive pro meritis ad astra iterum redire, aut ad informandum corpus nobilius, aut pro delictis, corporibus belluarum, et jumentorum etc. destinari. Haec Platonis, Platonicorumque sententia, de animorum trasmigratione, plenis ulnis a Chaldaeis, Ægyptiis, aliisque populis recepta, a Pythagora in Italiam invecta fuit; hic namque Philosophus adeo fuit dementia captus pro tali sententia, ut dicere non erubuerit, se hanc Metempsychosin in se, fuisse expertum, cum ipsius anima, prius fuerit in Ethalide Mercurii filio, postea in Euphorbo, Hermotino, et passim in aliis, donec corpori suo fuerit consociata. Eodem se vino inebriatus Empedocles ejus discipulus, asseruit, se virum aliquando fuisse, postea feminam, hinc plantam, nec non etiam piscem. Non defuit quoque Origenes, quin eidem Platonicorum sententiae, alia absurda de suo addens, se subscripserit. Unde de Origenistis loquens Sanctus Augustinus (libl. XI. de Civ. Dei cap. 22.) scribit. « Animas dicunt Origenistae, non quidem par-» tes Dei; sed factas a Deo, peccasse a Conditore re-» cedendo; et diversis progressibus pro diversitate pec-» catorum a Coelis usque ad terras diversa corpora, » quasi vincula meruisse, et hinc esse Mundum, eam-» que caussam Mundi hujus faciendi, non ut conde-

» rentur bona, sed ut mala cohiberentur ». Leybnitius vero, et Wolfius cum aliis, animas ab initio temporis a Deo creatas fuisse asserunt; sed ab initio quoque singulis suis infusas fuisse corpusculis organicis, et minutissimis, quae in lumbis Adae, vel in ovario Evae, eodem simul tempore, formaverat Deus; vel in animalculis spermaticis, juxta Levvennockii observationes, ut aliis placet. Alii tandem, et quidem cordatiores, constantissime tenent, animas, tunc a Deo creari, cum corporibus infundi debeant; eo nempe tempore, quo infantium corpuscula in matris utero, adeo sint organizata, ut anima in eis suas functiones valeat exercere. Cum quibus et nos. Quare

## THEOREMA I.

*Animarum praeexistentia ante corpora, purum est, putidissimumque commentum.*

§. 159. *Demon.* Nam anima est substantia ad corpus informandum, et regendum destinata (§. 93.) unde forma corporis substantialis dicitur (§. 79.), et substantia incompleta, quacque propterea naturaliter ad corpus propensionem habet; ergo ante corpus non debuit esse creata; cuinam enim usui alio, et bono, Deus eam creasset? adeoque etc. Deinde id dicendum de animabus omnibus ceterorum hominum, quod de anima primi hominis Sacrae historiae narrant; sed Sacrae historiae narrant, non prius animam primi hominis fuisse a Deo creatam, quam crearetur corpus illius (Gen. cap. 11. v. 7.); ergo etc. Tandem si animae corporibus praeextitissent, cum in eo statu fuissent in actuali cogitatione (§. 101.), saltem aliquarum rerum in statu praeexistentiae factarum recordaremur; atqui nihil recordamur; quis enim dicere potest se meminisse? Ego enim; dicam, quod Cicero olim adversus Pythagoram dicebat (lib. 1. QQ. Tusc. cap. 7.), *non commemini autequam sum natus me miserum*, neque si ma-

*vis Beatum. Tu si meliore memoria es, velim scire eccquid de te recordere?* Ergo etc. Q. E. D.

## THEOREMA II.

*Platonicorum, Pythagoreorum, atque Origenistarum Metampsychosis indigna est, quae a Philosopho sustineatur.*

§. 160. *Demon.* Nam 1. animae non praeextiterunt corporibus (§. 169.); ergo antequam corporibus unirentur peccare non potuerunt, neque a syderibus ad corpora informanda transire, a corporibus ad sydera reverti, vel nobiliora, aut viliora sive hominum, sive aliorum animalium corpora assumere; quod enim non existit, nequit operari (§. 196. Ont.); adeoque etc. 2. Admissa supradicta Metemphychosi, tota evertitur Christianae Religionis doctrina de altera vita, statim, a corporis morte, ab anima consequenda, in qua pro benefactis, praemia, pro peccatis a Deo supplicia recipiet sempiterna; tota namque poena, vel praemium animae, in praesenti vita coarctaretur; et quidem praemium pro anima justa foret, vel regressus ad sydera, vel ingressus in aliquod nobilius corpus, juxta meritorum qualitatem; pro anima vero impia, et peccatrice, ingressus in corpore alicujus bruti pro qualitate delictorum; jam vero absurdissimum est, et impium hoc dicere; Ergo etc. 3. Admissa Metempsychosi, homines similes essent nedum belluis, sed et ipsis plantis; eadem enim anima rationalis in illis esset; jam vero indignum est prorsus hoc asserere; Ergo etc. Tandem si Metempsychosis daretur, licitum foret potius interficere homines justos, et pios, quam scelestos, et peccatores, ut citius illi vinculis corporeis soluti, in quibus velut carcere detinebantur, ad Astra redirent, vel ad nobiliora corpora informanda transirent, atqui hoc nefas est solum cogitare; Ergo etc. Q.E.D.

# THEOREMA III.

*Animae omnes simul ab initio temporis a Deo creatae non fuerunt, et in propriis organicis corpusculis inclusae.*

§. 161. *Demon.* Nam corpuscula illa, quae a Deo ab initio temporis creata supponuntur, fuerunt ne omnia, et singula anima rationali donata, vel solum illa quae nasci debebant? Si illa tantum corpuscula, quae nasci debebant, quid fiet de tot, tantisque corpusculis, quae in omnibus mulierum ovariis reperiuntur? Ad quid ea creata fuissent? frustra certe in hoc casu Deus operatus fuisset. Deinde, quo pacto suaderi posset virginitas, si unaquaeque mulier, cum tot corpuscula in se contineat, continere posset corpuscula animata, quae nasci debeant? si vero sunt omnia animata, quid fiet de tot animabus, quarum corpuscula non foecundantur, vel quia feminae in tenera aetate moriuntur, vel quia virginitatem profitentur, vel quia steriles sunt? suadendum igitur erit, ut homines quot uxores accipere velint, accipiant; damanda foret virginitas, laudibus ab ipso Domino Servatore Nostro tam celebrata, et alia hujusmodi horribilia, et impudica praecipienda. Tandem corpuscula illa animata vivunt ne, an non? si vivunt; possent ergo et ipsae virgines, absque ullo virili consortio concipere, atque filios edere; si non vivunt, ad quid in eis anima rationalis? anima cum sit spiritualis, vivit; cumque vita in actione consistat, quae in anima est cogitatio (§. 100.), cogitare igitur et animae, in laudatis corpusculis deberent, at quis talia solum effingere audebit? Ergo etc. Q. E. D.

§. 162. *Coroll.* Ex his plane etiam evertitur de anima in animalculis Levvenochianis opinio.

# PROPOSITIO

*Animae hominum tunc a Deo creantur, et corporibus infunduntur, cum haec apta sunt ad vitae munia obeunda.*

§. 163. *Demon.* Nam animae non sunt Deus (§. 119); neque particulae divinae substantiae (§. 120); neque per traducem propagantur (§. 112.), sed a Deo immediate creantur (§. 157.); atqui non fuerunt omnes simul creatae ab initio temporis, et in Astris collocatae (§. 160.), aut in corpusculis organicis in lumbis Adae vel in ovario Evae inclusae (§. 161.); sive in animalculis spermaticis (§. 163.); Ergo etc. Sane anima ad corpus regendum, et informandum est destinata; tunc igitur a Deo creatur, cum corpus aptum est, quod ab ipsa informetur, et regatur; consentaneum enim est, ut sicuti anima separatur a corpore cum corpus amplius aptum non est ad vitae munia obeunda, ita tunc creetur, et copuletur, cum hoc ad illa idoneum est; adeoque Q. E. D.

*Argumentis adversariorum occurritur.*

§. 164. *Objic. I.* Cum Leybnitianis, et Wolffianis. Platonicorum sententia de Animarum creatione, sacrarum historiarum testimoniis, fulcitur; ergo est tenenda. Prob. ans. Geneseos (Cap. II.) legitur: Deum die septimo requievisse ab universo opere, quod patrarat; ergo etc. Prob. consa; Animarum creatio ad divinam spectat Omnipotentiam; atqui divina Omnipotentia, ex dictis, die ultima, ab universo opere patrando requievit; Ergo requievit quoque ab animarum creatione; et consequenter etc.

§. 165. R. dist. min. Sed divina Omnipotentia etc., scilicet ab universali productione, conc. min.; particulari quoque, n. min.; ergo etc. n. consm. utramque. Requievit profecto Deus Optimus Maximus die septimo ab universali opere, aut totius Mundi machinae opificio, quia novas postmodum, quoad Coelos, elementa, vel aliquam insignem speciem, creaturas non condidit. Non cessavit tamen omnino a singulari productione, scilicet ab individuorum creatione, quae ipso operante, quotidie fit, juxta illud Christi Domini apud Joannem testimonium: *Pater meus usquemodo operatur, et ego operor.* Non requievit igitur Deus ab animarum ereatione; itaut alias exinde animas non creet.

§. 166. *Contra*; Atqui laudato Sacrarum historiarum testimonio requies innuitur quoque ab omnium singularium productione; Ergo n. r. Prob. subsm. Laudato loco, divinae Omnipotentiae requies declaratur, sicuti in aliis Scripturarum locis; sed in his ab omni opere innuitur cessatio; ergo laudato etc. Prob. min. Qui creavit omnia simul, dum ab operibus patrandis septima die requievit, ab omni productione etiam singulari omnino cessavit; sed in Ecclesiaste (Cap. XVIII.) dicitur: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul;* Ergo, etc.

§. 167. R. dist. maj. Qui creavit omnia simul etc., si per ly *simul* intelligatur eodem instanti, eodemque *fiat*; conc. maj., secus, n. maj.; sed etc.; dist. min. *omnia simul*, scilicet creavit eodem instanti, n. min., secus, hoc est, cuncta omnino condita sunt ab eo, qui vivit in aeternum, conc. min.; Ergo etc., n, consm. Solemne Sacris literis est, particulam *simul* denotare quandoque non temporis simultatem, sed eorum collectionem, quae dictione illa exprimuntur, quod clare innotescit ex aliis Scripturae testibus; in Psalmo namque 48. dicitur: *Simul insipiens, et stultus, peribunt.* An forte ibi significatur, quod eodem instanti, ambo sint perituri? neutiquam sane; sed dumtaxat, utrumque ad mortem teneri. Quapropter, cum nonnullis Scripturae testimoniis doceamur, minime omnia in eodem instanti

creari, sed successive; ut legitur Geneseos libro, quo pluribus diebus, Deum creatas species produxisse declaratur, rationem habemus dicendi, non eodem momento cuncta omnino creasse; et consequenter laudatum testum, propositionem nostram haud infirmare.

§. 168. *Contra;* Atqui particula illa *simul*, non rerum collectionem, bene vero temporis simultatem significat; Ergo n. r. Prob. subsm. (cap. 2.) Postquam totius Mundi machinae designata fuerat creatio, subjungitur: *istae sunt generationes Coeli, et terrae, quando creatae sunt in die, quo fecit Dominus Deus Coelum, et Terram.* Qua posita auctoritate, en argumentum; verba illa Scripturae *in die* significant temporis simultatem, ut pluribus Scripturarum Interpretibus placuit; ergo particula illa etc.

§. 169. R. huic argumento cum doctissimo Natale ab Alexandro, dicendo, *ly in die* in Scripturis, saepe saepius significare tempus successive, et singulare, plurale, ita ut talis sit sensus: istae sunt generationes Coeli, et terrae, quando creatae sunt in die, hoc est in tempore, vel diebus creatae sunt a Deo. Et quod ita sit intelligenda allata auctoritas, satis superque constat ex dictis, quibus clare, nitideque demonstratur, Deum Optimum Maximum, neutiquam a continua animarum creatione cessasse, quae ipso operante, quotidie fit, juxta laudatum testimonium Jesu Christi apud Joannem (§. 165.): Particula ergo *simul*, non temporis simultatem, bene vero rerum omnium collectionem denotat.

§. 170. *Objic. II.* Speciatim pro ipsis Leybinitio, e Wolfio. Omnia plantarum semina, ut accuratissimi contendunt Buttanici, sicuti, et omnia organica hominum corpuscula, ut voluere Fabri, Malebranchius, Levvenockius, aliique, condita fuere, in primo creationis exordio; ergo et animae singulae in ipso creationis initio fuerunt creatae, suisque corpusculis inclusae.

§. 171. R. Omisso ante, n. consm., et paritatem. Licet verosimile sit, omnia plantarum semina, sicut et corpuscula omnia, principio fuisse creata, ut laudati voluere Auctores, non video, qua ratione

inferatur, animas quoque fuisse tunc temporis creatas, iisque inclusas. Cui namque usui, cui utilitati fuissent animae illae initio Mundi creatae? haerebit hic certe Leybnitius, ejusque discipulus Wolfius; ergo, ex quo initio Mundi a Deo omnium futurorum hominum organica corpuscula creata fuerint, non sequitur, et animas tunc temporis esse creatas.

§. 172. *Contra*; Atqui si omnia corpuscula fuerunt initio Mundi creata, jam in ipsis fuerunt animae inclusae; ergo n. r. Prob. subsm. Universi perfectio id postulabat; ergo si etc. Prob. ans. Perfectior est Mundus cum animabus, quam sine animabus; Ergo si Mundus conditus est perfectus, ejus perfectio exigebat, ut creatis corpusculis ad initio Mundi, ipsis animae includerentur. Prob. ans. Perfectius est corpus cum anima, quam sine anima, ergo perfectior est Mundus cum animabus quam etc.

§. 173. R. dist. ans. Perfectius est corpus etc., si anima in corpore existens, operationis esset capax, conc. ans., secus, n. ans.; et dist. cons. Perfectior est etc., si animae in corpusculis inclusae, operationis essent capaces, conc. consm., secus, n. consm. Non diffitemur, corpus, quod jam ad agendum est organis instructum, perfectius tunc esse, si comitem habeat animam, qua mediante motus exercet, aliasque actiones. At quae perfectio foret in corporibus, atque adeo in Universo, si tot animae creatae fuerint, quot sunt corpuscula, quae nunquam explicabuntur, ut hominem constituant, nunquam futurae essent meriti, et operationis capaces? quae perfectio foret, si contracto initio Mundi originali peccato, nunquam evolvi possent, ut Baptismatis lavacro, ab eo expurgarentnr? quae denique perfectio, si talis essent naturae, ut tantum aeternis poenis in fine Mundi manciparentur? nonne igitur somniantis delirium esse videtur, has animas initio Mundi creari debuisse, ut Mundus esset perfectior?

§. 174. *Contra*; Atqui animae illae, ut inquit Wolfius, in statu praeexistentiae, fuissent in stasu perceptionum confusarum; adeoque non fuissent in corpusculis organicis absque ulla operatione; ergo n. r. Prob.

subsm. Ex concessis, perfectius est corpus ubi anima operatur; sed corpuscula animarum illarum in statu praexistentiae, in statu fuissent operationum; ergo perfectius fuisset quodcumque corpusculum cum anima, quam sine anima; ergo ad Universi perfectionem spectabat animarum omnium praeexistentia.

§. 175. R. dist. maj. Perfectius est corpus etc., ubi anima operatur clare, conc., confuse et obscure, n. maj., min., et utramque consam. Etiamsi daremus, animas, in statu praexistentiae, in statu fuisse perceptionum confusarum, ut Wolfiana fert hypothesis, semper tamen fluit, nulli bono eas conditas fuisse, si nunquam plurimae evolverentur, atque ad eum statum pervenirent idearum clararum, ut cognoscerent Deum auctorem suum; neque possent a peccato originis expiari; sicque virginitas medium foret, quo innumerae animae aeternis manciparentur suppliciis. Hoc posito, creare animas ab initio temporis, et in corpusculis organicis includere, esset Mundum perfectiorem facere, an potius universam turbare naturam? nobis ita videtur. Ac Wolffius ipse ita fateri debet, si Poetarum figmenta, quibus sua sententia omnino est similis, relinquere velit, ac cordatum philosophum se prodere.

## *Difficultates aliae soluta oratione.*

§. 176 I. Mundus hic aspectabilis est ens unum, et totum, nec quidquam ipsi addi de novo, vel detrahi potest, quin pereat, aut saltem ejus essentia immutetur; Ergo etc.

II. Essentia, et natura hujus Mundi media sunt, quibus Deus finem consequitur a se intentum per Mundi creationem; atqui hujusmodi finem perfecte Deus consequutus est per hujus Mundi existentiam, quin nova creatione, nova entia in Mundum inducat; ergo cum Deus sit Sapientissimus, nihil nova creatione producet, quamdiu hic Mundus aspectabilis existet.

III. In Adamo, per Apostolum omnes peccaverunt: ergo in lumbis ejus, ab initio temporis, omnes animae creatae, fuerunt repositae; atque hoc pacto facillime intelligitur, quomodo unius Adae peccatum, in omnes ejus posteros trasfundatur.

IV. Tandem: *Nihil est sub sole novum*, clamat Salomon, Regum sapientissimus (Eccl. Cap. 1.); Ergo nulla anima de novo creatur; adeoque etc.

§. 177. R. Ad singulas. Et ad 1. Ex quo a Deo in dies creentur humanae mentes, minime consequitur, Mundum non esse amplius unum, idemque ens, seu ejus perire, vel immutari essentiam; quandoquidem in creatione mentis, nulla Mundo nova entium species additur, quae ab initio in Mundo non fuerit. Nam, ut egregie Augustinus ait, Deus animam creando, non novam creat speciem, sed multiplicat speciem illam. Quare salvatur optime Mundi essentia, quae in specierum collectione posita est.

Ad II. Licet novae in dies creentur animae, idem tamen, et incolumis conservatur finis a Deo, per Mundi creationem intentus, cum idem omnino perseveret Mundus, quem ab initio condidit. Quomodo enim cum homo moritur, aut corpora pereunt, nulla Mundo tunc detrahitur species, nec Mundus ipse desinit esse ille idem, qui erat antea; sic cum novae creantur animae, nullae Mundo adduntur entium species, sed ille idem invariatus manet. Itaque stat, quod etsi Deus novas in dies creet animas, perfectissime tamen consequutus sit finem a se, per Mundi hujus creationem intentum.

Ad III. Argumentum istud, quod proprium videtur ad facilius explicandum mysterium propagationis peccati originalis, nullius plene est roboris. Nam vel omnes animae in Adae lumbis existentes (ut supponunt adversarii), propriam voluntatem, Adami peccantis voluntati adjunxerunt, vel non. Si primum; ergo omnes homines non originali, sed actuali peccato sunt rei, quia unusquisque, ut Adam, propria voluntate peccavit, adeoque actum erit de originali peccato, quod Pelagiani docebant. Si secundum; ergo stat semper, et

firmo manet eadem difficultas: quomodo scilicet in posteros propagetur.

Ad IV. tandem. Illud Solomonis intelligendum est hoc sensu; nihil scilicet esse sub Sole novum quoad species, non etiam quoad individua; nisi dicere velimus, Salomonem ibi loqui de rebus novis aspectabilibus dumtaxat, non vero intelligibilibus. Id sane innuere videntur verba illa, quae addit: *nec valet dicere ecce hoc recens est*; voculae siquidem illae *ecce hoc*, rem sensibilem, atque corpoream, veluti digito commostratam indigitant; anima vero, cum sit spiritualis, hoc modo indigitari nequit (*a*).

(a) Consul. P. Fortunatus a Brixia Metaph. P. 11. Sect. III. Potestius Metaph. P. 11. Sect. 11. Odoardus del Giudice Pneum. P. I. Cap. IV. Tamagna Metaph. P. IV. Sect. I. Cap. I. art. III Storchenau metaph. P. 11. Sect. I. Cap. VI.

# SECTIO III.

## *De Animae cum corpore unione, et commercio.*

§. 178. Animam humanam, quamdiu homo vivit, corpori organico esse stricto foedere copulatam, ita ut cum eo unum suppositum constituat, hominem nempe, adeo certum exploratumque est, ut merito insanientes dicerentur, atque baculo excipiendi, qui vel minimum haesitare vellent. At quomodo anima, quae spiritualis est substantia, et partibus omnino carens, corpori materiali, atque composito copulari possit, tamque intime copuletur, ut durante conjunctione utriusque substantiae, anima in suis functionibus a corpore pendeat, et corpus ab anima, ut factis impressionibus in corpore, notiones respondent in anima, et vicissim exortis modificationibus in anima respondeant motiones in corpore, id adeo abscurum est, atque imperceptibile, ut merito inter Naturae arcana, et mysteria reponendum esse videatur. *Modus*, inquit Sanctus Augustinus (Lib. XX. de Civit. Dei cap. 10.), *quo corporibus adhaerent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ad homine potest.* Id quod, et ipse Tullius ingenue fassus erat (Lib. 1. QQ. Tuscul. cap. 22.) *Mihi quidem*, inquiens, *naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam*

*alienae domui*. Quare ne frustra tirones philosophos defatigemus, in hac Sectione, quae animae sedem in humano corpore respiciant; atque praecipua circa animae cum corpore commercio Philosophorum Systemata, distinctis Capitibus, examinabimus.

## CAPUT I.

### *De animae sede in corpore humano.*

§. 179. Cum variae in homine observeretur operationes, vegetatio nempe, sensatio, atque intellectio, tres propterea in eo distinctas animas effinxit Plato; vegetativam scilicet, sensitivam, et rationalem, ita ut unaquaeque illarum sit proprium, et peculiare principium operationum sibi correspondentium; nempe vegetativa, vegetativarum, sensitiva, sensitivarum, et intellectivarum intellectiva; atque vegetativam in hepate, sensitivam in corde, intellectivam in capite collocavit. Verum haec cordatioribus Philosophis somniantium sunt deliramenta. Compertum namque exploratumque est, operationes vegetativas esse solius corporis proprias; sensitivas vero, et intellectivas ad animam rationalem proprie spectare. Hinc merito ridendi sunt etiam, qui duas animas in homine agnoscunt, quorum altera spiritualis est, et rationis particeps, altera materialis per totum corpus diffusa, a qua operationes tum vegetativae, cum sensitivae proficiscantur. Unica itaque est anima rationalis (§. 93.). Et si unica, et sola, et quae corpus informat, ubinam ipsa in humano corpore suam sedem habet? est ne tota per totum humanum corpus diffusa, an potius in aliqua ejus peculari parte residet! hoc opus, hic labor est. Variae namque et diversae sunt hac super re.

*Philosophorum opiniones.*

§. 180. Et sane Peripateticorum sententia est, animam rationalem per totum humanum corpus esse diffusam; totam scilicet in toto corpore, et totam in qualibet ejus peculiari parte: ita ut eodem tempore, quo est tota in digito, brachio, aut pede, capite, aut corde etc., sit etiam per totum corpus diffusa. Aristoteles, eam diffusam quidem esse ait per totum corpus, at in solo cerebro ratiocinari asseruit. Democritus, et Plato in toto capite; Chrysippus cum Stoicorum multis, in corde illam posuerunt, ex quo (ait Tullius QQ. Tuscul. lib. 1. cap. 9.) homines *excordes*, *vecordes*, *concordesque dicuntur*. Ab iis dissentire non videtur Lucretius, qui (lib. III. de Nat. rerum v. 142.) de animi sede loquens, scripsit.

*Idque situm media regione in pectoris haeret.*

Recensiores vero, conveniunt quidem, animae sedem in cerebro esse agnoscendam, at in quanam proprie cerebri parte ea resideat, id est, quod certo determinare nesciunt. Cartesius enim animae sedem in *glandula pineali*, seu *conario* posuit, cui firmiter adhaeret Ludovicus de Forge. D. de Buffon in cerebri diaphragmate; unde ejus sententia cum illa Erasistratis congruere dicenda est, qui teste Plutarcho (De plac. Phil. Lib. IV. cap. 5.), animam circa *epicranidem*, collocavit: Bordenavius in cujusque nervi origine; Lancisius, Bergerus, D. de La-Peyronie, et alii non pauci in corpore calloso; aliqui, in eo cerebri loco, in quo nervi ducunt originem; alii in cerebello, et alii tandem in toto cerebro animae sedem reponunt. At quaenam ex iis sententiis vera erit? seu melius: erit ne ex his sententiis, illa, quae veram animae sedem in humano corpore designet? Novit Deus, qui tam stupendam

oppositarum substantiarum conjunctionem in homine operatus est. Nos, quae in re tam difficili, saltem probabiliora sunt, sequi cupientes, nonnulla, quae ad dicendorum clariorem intelligentiam possunt conferre, praemittenda existimamus. Itaque.

§. 181. *Def. 1.* Sensorium commune vocatur ea corporis humani pars, in qua nervi omnes ab organis sensoriis protensi, adeoque et motiones ad iisdem, ope spirituum animalium propagatae, simul conveniunt.

§. 182. *Def. 2.* Organa sensoria dicuntur eae humani corporis partes, in quibus dum ab objectis externis impressiones fiunt, anima ad percipiendas sensibiles corporum qualitates determinatur.

§. *183. Def. 3.* Nervi sunt quaedam partes similares, veluti funiculi albicantes, duriores, elasticae, maximeque sensibiles; quorum alii a cerebro, alii a cerebello orientes, atque inde per *medullam oblongatam* exeuntes, per universam animalis machinam, miro prorsus artificio disseminantur, ut ejus functionibus peragendis inserviant.

§. 184. *Def. 4.* Cerebrum est quaedam albicans, et globosa substantia, duabus membranis, veluti subtilissimis panniculis involuta, ( quarum quae maxime cerebrum tegit, dicitur *pia meninx*, seu *pia mater;* quae vero extima est, et illud remote involvit, dicitur *dura meninx*, seu *dura mater* ), quae *cranio*, tanquam lapideo muro, tota continetur; et duabus constat partibus, quarum quae anterior est, et superiorem cranii partem occupat, proprie cerebrum appellatur; quae vero posterior est, et inferiorem cranii partem replet, *cerebellum* dicitur, quasi parvum cerebrum, quia ex Heistelo, est septies minor cerebro.

§. 185. *Animad.* Non omnes nervi, tam nempe, qui oriuntur a cerebro, quam qui a cerebello, eundem habent usum. Cum namque triplicis generis sint hominis actiones, aliae nempe pure spirituales, quae a sola anima fiunt, ut *intellectiones*, et *volitiones*; aliae mere corporeae, uti *motus cordis*, *sanguinis circulatio*, *respiratio*, *nutritio etc.*, quae solum a corpore fiunt; aliae tandem mixtae, quae scilicet, a corpore,

et anima, cujus imperio subjciuntur, procedunt, uti motus *spontanei*, et *sensationes*; nervi ex cerebro prodeuntes, operationibus tum mere spiritualibus, cum mixtis peragendis inserviunt; qui vero ex cerebello, operationibus mere corporeis, quae ab anima non pendent, usui sunt. Notum quippe experientia est, quod si laedantur nervi, qui ex cerebro prodeunt, cessant quoque animae spirituales functiones; naturales vero, si qui a cerebello derivantur, detrimentum patientur. Porro tam nervi, qui ex cerebro, quam qui ex cerebello oriuntur, praeter vim elasticam, qua praediti sunt, spiritibus, animalibus, inter eorum cavitates existentibus opus habent, ut functiones suas exequantur.

§. 186. *Def.* 5. Nomine autem spirituum animalium intelligitur substantia quaedam fluidissima, summeque mobilis, ex puriori sanguine elaborata, quae nervos omnes irrigat.

§. 187. *Schol.* Spiritus animales esto in se una eadamque substantia sint, pro diversis tamen functionibus, quas exercent, diversa quoque nomina sortiuntur; Vel enim nervos illos movent, quibus tum motus spontanei, cum sensationes, et volitiones (§. 185.) perficiuntur, et proprie dicuntur animales; vel movent nervos illos, quibus functiones naturales fiunt, et spiritus naturales appellantur.

§. 188. *Def.* 6. Diaphragma cerebri, juxta Buffon, est membrana illa, quae cerebrum involvit.

§. 189. *Def.* 7. Glandula pinealis, sic dicta a forma pineali, quam habet, est exigua glandula cinerea, et duriuscula in medio cerebri ventriculo sub plexu coroideo suspensa, quae lympham a sanguine secretam, ut aliae glandulae, in ventriculos demittit. Vocatur etiam *conarium*, quia cono simillima est.

§. 190. *Def.* 8. Corpus callosum est candidus, et duriusculus fibrarum medullarium fasciculus inter hemisphaeria situs, ubi fibrae omnes ex ipsis hemisphaeriis concurrunt.

§. 191. *Def.* 9. Cor est pars musculosa, sita in pectore inter duos pulmonum lobos, reciproca sui dilatatione, et constrictione sanguinem per venas ad om-

nibus corporis partibus in suas cavitates recipiens, eumdemque rursus per arterias ad omnes partes ejiciens.

*Experimenta.*

§. 192. I. Si ligetur, vel resecetur aliquis nervus, sensus omnis perit in ea corporis parte, quae a nervi ligatura, vel scissione, ad ipsius partis extremitatem usque reperitur.

II. Nonnulli, quibus membrum aliquod abscissum est, de dolore in eodem conqueruntur, eo sane modo, quo dolorem sentirent, si membrum illud adhuc foret toti corpori conjunctum. Notum quippe est, quod de quadam puella narrat Cartesius (parte IV. principior: n. 196.), quod scilicet, cum puellae cuidam, manum gravi morbo affectam habenti, velarentur oculi, quoties chirurgus accedebat, ne curationis apparatu turbaretur, eique post aliquot dies, brachium ad cubitum usque, ob cancrenam in eo serpentem, fuisset amputatum, et panni in ejus locum ita substituti, ut eo se privatam esse, plane ignoraret, ipsa interim varios dolores, nunc in uno ejus manus, quae abscissa erat, digito, nunc in alio se sentire querebatur.

III. Si cerebrum sit male affectum, esto omnia corporis membra sanitate gaudeant, nulla sensatio in homine superest.

IV. Qui erysipelis in aliqua corporis parte laborant, ad leve ictum gladii, dolorem non sentiunt; sentiunt vero cum gladius ad nervum usque pervenerit.

V. Si mens alicui objecto contemplando vehementius intenta est, eoque delectatur, quaecumque motio, et impressio fiat in sensibus externis, nullam vel minimam ideam sibi cudit mens illius impressionibus. Id vel maxime patet in raptibus, et exstasibus hominum Sanctorum, et in eo, quod de quodam Praesbytero, nomine Restitutus, narrat Sanctus Augustinus (Lib. XVI. de Civit. Dei cap. 24.), qui quando ei placebat, ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet voces, ita se aufe-

rebat a sensibus, et jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes, atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum, ex vulnere.

VI. Nervi ab organis sensoriis protensi, ad glandulam pinealem, teste Boheravio ( Prae. med. tom. 4. num. 574. ), non pertingunt. Insuper glandula pineali male affecta, mens sana, et constans perstitit, sensus et motus integri, atque perfecti. Narrat namque Plembius ( Med. art. de sens. tomo I. ) apud Lucam Tozzi, Slaudum medicum, et Anatomicum Amstelodamensem reperisse in glaudula pineali lapillos, et aliquando tam multos, ut fere plus lapillorum, quam glandulae esset, cum tamen in vita mens sana, et constans fuisset, sensus, et motus integri. Imo, ex Boneto: Fredericus olim hanc glandulam petrificatam vidit. Alii quoque, vel penitus putrefactam, vel omnino deesse observarunt.

VII. Destructo, aut immutato corpore calloso, hominem sensum, et rationem retinuisse compertum est.

VIII. Licet magna cerebri pars homini aliquando defuisset, vitam nihilominus, sensumque incolumen mansisse abservatum est.

## THEOREMA I.

*Anima non est tota in toto corpore, et tota in qualibet ejus parte.*

§. 193. *Demon.* Nam si anima esset tota etc., ligato, aut abscisso aliquo nervo, etiam sensus abservari deberet in ea corporis parte, quae a nervi ligatura, vel scissione ad ipsius partis extremitatem usque reperitur, in ea namque anima tota existeret; hinc operaretur; atqui nullus sensus in ea parte, et in eo casu observatur ( §. 192. exper. 1. ); Ergo etc. Praeterea, si anima etc., nullus dolor sentiri deberet in ea corporis parte, quae ob aliquem morbum amputata est, atque

in cineres resoluta ; atqui hoc falsum experientia ( §. eod. exper. 2. ) comprobatur ; ergo etc. Ulterius , si anima in toto etc. , in quacumque hominis parte caro feriretur , dolor haberetur ; atqui non sentitur ab illis , qui erysipelis laborant , nisi forte gladii ictus nervum tetigerit ( §. eod. exper. IV. ) ergo etc. Insuper si anima etc. , etiamsi cerebrum esset male affectum , homo nihilominus in alias corporis partes , quae sanae sunt , sensationes haberet ; sed nullas habet ( §. eod. exper. III. ); Ergo etc. Tandem , si anima , etc. , semper ac ad objectis externis , in organis sensoriis impressiones fierent , anima sibi cuderet ideas ; atqui hoc non evenit , ( §. eod. exper. V. ) ; Igitur etc. Q. E D.

## THEOREMA II.

*Animae sedes in corde statui nullatenus potest.*

§. 194. *Demon.* Nam ibi statuenda est animae sedes , ubi adest commune sensorium ( §. 181. ), in quo anima operatur ; atqui commune sensorium nullatenus in corde statui potest ; cum nervi suam originem a corde non habeant , sed a cerebro ( §. 182. ) ; ergo etc. ; Q. E. D.

## THEOREMA III.

*In glandula pineali Animae sedes nequit reponi.*

§. 195. *Demon.* Nam si in glandula pineali constitui posset animae sedes , deberemus asserere , in ea quoque esse commune sensorium ; nervos proinde omnes ab ea ortum ducere ; atqui res ita non est , cum ex observationibus Anatomicorum constet, duos tantum ner-

vulos', veluti funiculos in ipsam introire; ergo etc. Deinde, si in glandula pineali animae sedes esset, ipsa glandula male affecta, homo nec vivere posset, nec sensus, motusque integros habere, atqui glandula pineali male affecta; quin et petrificata; imo etiam penitus corrupta, homo adhuc vivere visus est mente sana, et constanti, sensu ac motu integro; (§. 192. exper. VI.); ergo etc. Q. E. D.

## THEOREMA IV.

*In toto cerebro Animae sedes non est reponenda.*

§. 196. *Demon.* Nam si in toto cerebro anima sedem suam haberet, ubi cerebrum non esset integrum, nec hominis vita, nec sensus incolumes essent; atqui incolumes sunt (§. 192. exper. VIII.) Q. E. D.

## THEOREMA V.

*Neque in cerebello Animam residere dicendum est.*

§. 197. *Demon.* Nam pauci sunt nervi, qui a cerebello oriuntur; in eo itaque nequit constitui commune sensorium; sed in communi sensorio est animae sedes; ergo etc. Q. E. D.


image
not
available

*Audiuntur Scholastici, et refutantur.*

§. 202. *Oqjic. I.* Experientia constat, mentem humanam per totum corpus esse diffusam; Ergo falsa prop. Prob; ans. Experientia constat, nos dolorem sentire in pedibus etc., voluptatem in ore etc.; videre oculis, audire auribus, odorem naribus percipere; atqui nisi anima per entitatem suam resideat in iis corporis partibus, illic non sentiret motus illos, neque videret oculis etc.; ergo etc.

§. 203. R. dist. maj. Experientia etc. ita ut videantur dumtaxat ea omnia in iis partibus experiri, conc. maj., ibi reipsa experiuntur. n. maj., min., et consam. Praejudicia quidem vel ab ipsa infantia sunt, nos sentire in brachio, vel in pede dolorem, voluptatem in ore etc., quemadmodum infantiae praejudicium est Solem, Lunam, et Stellas ejus esse magnitudinis, qua nobis apparent. At dato etiam, dolorem in pede, voluptatem etc., non tamen propterea eruitur, in iis locis esse entitative facultatem sentiendi dolorem, et voluptatem, sciendi visionem, auditum etc., sed ad summum colligitur, *facultatem uti organo*, ait Gassendus, seu, quod idem est, organum facultati inservire, occasionemque sentiendi illi facere, adeo ut sine impressione in organo facta, facultas non sentiat. Et licet non videamur nobis experiri, elici visionem interius potius, quam exterius, caussa esse potest, quod ipsa facultas, resultu exposito mota, eo convertatur, unde impressio advenit, ac sensibile ille hic, non vero ubi est, adesse percipiat, ac sentiat; sic cum videmur nobis in manu, pede conpunctis dolere, ideo est, quod pari ratione, facultas eo convertatur, unde memoratus resultus laesionem factam renuntiat. Indeque fit, ut non negemus, sentire dolorem in pede, ut sentire in cerebro; cerebrumque dolere dicamus, sed dicimus sentiri in pede a facultate, quae in cerebro sit, prout in pede intenta est, ex quo, et in quo

continui solutio nuntiatur. Neque id vero est propterea desipere, aut furere, quando constat, nisi facultas, quae in cerebro est, advertat, posse etiam secari pedem, et dolorem tamen non sentiri. Ex animi igitur advertentia a cerebro usque ad organum externum offensum, procul dubio repetendum est, quod in ipso organo externo dolorem, aut quamcumque aliam sentiamus impressionem: quia constat ab opposito, quod si animus non advertat, nulla prorsus sentitur impressio in organo externo facta (§. 172.). Liquet ex his, quonam sensu intelligendum est, cum dicitur dolorem, et voluptatem in corpore sentiri, videri oculis etc.; quatenus nempe anima dolet, et laetatur in eo corporis loco, ubi aliquid contingit, ut doleat, atque laetetur, non quia dolor, aut voluptas in ea corporis parte fit, sed quia in ipsa corporis parte illud agitur, a quo anima determinatur, ut doleat, atque laetetur, ut videat, audiat etc.

§. 204. *Contra*; Atqui sensationes, et praesertim doloris, aut voluptatis ita fiunt in organis externis sensoriis, ut ibi immediate anima sentiat per sui scilicet praesentiam; Ergo n. r. Prob. subsm. Nisi anima in toto corpore, sed in solo cerebro existat, dum sentit dolorem (idipsum etiam die de reliquis sensationibus) ex impressione facta in solo organo sensorio externo; profecto vel sentit dolorem illum per motum spirituum animalium in nervis delitescentium, vel per nervi ipsius tremorem, et quassationem, musicae cordae instar; atqui neutro modo potest anima sentire dolorem ex impressione in organo externo, nisi ipsa in toto corpore entitative per totum corpus, sed in solo cerebro, et utroque explicato modo dolorem sentiret; sane dolorifica impressione facta in organo externo, quia deberet ad cerebrum pervenire, vel per nervorum quassationem, vel per spirituum motum, dolor nedum sentiri deberet in organo, externo, in quo facta fuit impressio dolorifica, seb etiam per totam nervi, et consequenter per totam corporeae partis longitudinem; sic si dolorifica impressio fit in digito, dolor, nedum in ejus extremitate sentiri deberet, sed etiam per totam manum, to-

tumque brachium usque ad cerebrum ; atqui experientia teste , id non observatur ; ergo etc.

§. 205. R. n. maj. Atque in primis praemittentum est , ad sensationem aliquam in anima excitandam, non solum requiri spirituum motum , aut nervi tremorem , verum etiam ipsius animae advertentiam ; quae sane principalior hac in re esse debet , cum constet aliunde , quod , anima non advertente , nulla voluptas, nullusque dolor ab ipsa sentiri possit ( §. 192. exper. V. ). Secundo , spiritus animales velocissimo cientur motu , summeque agiles sunt , ut ait clarissimus Villisius ; sive , ut testatur Haruaeus , *cum agilitate , et vehementia ad motum destinantur.* Dum igitur impressio dolorifica fit in digiti v. g. extremitate , si impressio mitis est , ideo non sentitur ab anima dolor per totam nervi , et brachii longitudinem , licet habeatur per integram illam longitudinem spirituum animalium transitus, sive integer nervus concutiatur ( quod quidem cum majori Philosophorum parte non admittimus ; quia plurima sunt phaenomena , quae per hunc tremorem , et concussionem explicari non possunt , sicuti optime explicantur per spirituum motum ), quia mens determinatur , et advertit tantummodo ad impressionem illam inceptivam , ut ita loquar , doloris in extremitate digiti factam ; non autem advertit ad dolorem illum , qui forte relinqui potest a spiritibus , dolorificam illam impressionem , per totam brachii longitudinem , ad cerebrum deferentibus ; quia cum motus sit velocissimus , idcirco mens determinatur tantummodo ad sentiendum in extremitate digiti, in qua vere , et primo excitatur spirituum motus ex impressione facta a re sensibili. Quod si dolorificus impulsus sit gravior , ut accidit iis , quibus aut digitus, aut brachium , aut pes scinditur , eo tunc profecto gravis quoque dolor sentitur in parte illa , ubi fit abscissio ; at vero per partem , quae corpori conjuncta superest , experitur quidam torpor , qui certe a spirituum transitu repeti debet , dum a parte corporis immediate offensa discedentes , deferunt ad cerebrum usque dolorificam sensationem , ut anima possit illam percipere. Atque ita optime explicatur phaenomenon illud , in ar-

gumento recensitum, quamvis anima in solo cerebro collocetur.

§. 206. *Contra*; Atqui explicato modo anima non potest sentire dolorem; sed eam in toto corpore diffusam statuere debemus; ergo n. r. Prob. subsm. Si sensationes laudatae in solo cerebro fierent, profecto animal non posset sine cerebro vivere; nullae namque eo tunc haberentur vitae functiones; atqui res e contra se habet; ergo etc. Prob. min. Ex hominum fide dignorum experimentis habemus, plures natos esse foetus, qui absque cerebro, et medulla spinali, quae cerebri vices supplere potuisset, fuere nutriti, et producti, usque ad justum maturitatis tempus; ergo etc.

§. 207. R. I. Argumentum adductum nimis probat, adeoque nihil. Probat enim, non solum in animali, sensationem a cerebro non dependere; sed etiam nec ipsam vitam. Si namque per adversarios, foetus illi absque cerebro reperti, nutriti fuerunt, et ad proprium maturitatis tempus perducti, vivi etiam dici debent: neque enim nutritio, et continua augmentatio in animali concipi potest absque vita; ergo sine cerebro foetus illi vivere potuerunt, si nutriti fuerint, et creverint absque cerebro; quo nihil absurdius fingi potest. Etenim: « Si » cavi un poco, inquit clarissimus Valisnerius (Tom. 1. » operum dag. 530.) il cervello ad un bue, ad un cane, » ad un cavallo, o simile, e si vedrà, che subito per- » de il moto, e la vita, lochè non dovrebbe acca- » dere se potesse vivere senza il medesimo, o coll'offi- » cio suo totalmente oscurato, come viene supposto da « miei dottissimi avversarii; mentre veggiamo, che se ca- » viamo la milsa, o se si cancelli anche, e sfogiata- » mente si turbi per qualche accidente la struttura di » varie glandule, vivono senza un tal uso; segno evi- » dente, che senza queste possono vivere, e nudrirsi, » non senza quello ». Sicuti ergo, quamvis laudati foetus sine cerebro nutriti fuerint; et creverint, jure merito statui nequit nullius profecto vitam a cerebro dependere; ita etiam per illud praecise inferri nequit, non in cerebro, sed in organo externo immediate affecto a re sensibili, sensationem fieri.

§. 208. R. II. Foetus illi, qui jam nati absque cerebro sunt reperti, non in matris utero, in quo nutriebantur, et creverant, sed dumtaxat tunc cerebro caruerint, cum omnis vita in illis fuit extincta. Etenim ad probandum, foetus illos absque cerebro fuisse in matris utero nutritos, non sufficit, ut ostendatur, ipsos jam natos, fuisse absque cerebro repertos, quoniam, dum in matris utero degebant, poterat ipsis, vel totum, vel major cerebri pars inesse, et in luce editi, potuit extingui; idque maxime verum esse videtur. Enim vero foetus illi in utero tantum matris nutriti fuerunt, non autem extra quoque, secus enim, cum nutritio, et accretio, adeoque et ipsa vita sine cerebro haberi nequeat, dicendum foret, ipsos in utero, et extra uterum posse sine cerebro vivere; quod quidem nullimode concedendum, est. Quousque igitur non probent oppositores, foetus illos reipsa sine cerebro existentes in utero matris, ibi crevisse, et fuisse nutritos, nunquam de pugna palmam reportabunt. Nam secus id dumtaxat sequeretur, scilicet *talem jacturam* tunc demum tolerari, ut loquar cum clarissimo Heller, quando nullae animae *functiones*, *nulli sensus*, *neque ordinati motus requiruntur*, *et ipse demum sanguis*, *primus motuum auctor . . . . . a matre accedit.* Ratum igitur fixumque manet, foetus, et praecipue perfectos, absque cerebro vivere in matris utero non potuisse, nè punto nè poco, ut cum laudato superius Valisnerio (§. 207.) concludam « se avessero perduto il » loro cervello; ed essere contro tutte le belle leggi » della natura, che un animale perfecto fuori dell' u- » tero materno viva, senta, si nudrisca, e cresca senza » un organo così essenziale, da cui principalmente di- » pende l' essere, ed il bell' essere ad un vivente. De- » claravit porro vir clarissimus, cum dixerat fuori » dell' utero materno: voglio dire (haec habet in pag. » ant. ad Goaldinum scribens), che quando il feto » vive non solamente della sua vita, ma dirò così, » vive ancora della vita della madre, può lo machi- » netta del suo corpo tolerare la mancanza di qual- » che parte, anche di primo uso, supplendo a' difetti

» di quelle il nudrimento preparato dalle viscere ma-
» terne ; ma non già quando egli è fuor dell' utero, e
» che si ricercano in lui tutte le parti necessarie per
» vivere, e per nudrirsi. Veggiamo, che i pulmoni
» in quello stanno certamente oziosi, e pure se usci-
» to che egli è alla luce, sospendano per pochi mo-
» menti il loro officio, subito è privato di vita. Così
» l' officio di molte altre parti, o è nell' utero smi-
» nuito, o affatto sospeso, perchè come diceva, arri-
» vano i fluidi già preparati dalle viscere della madre,
» e di nuovo tritolati, ed affinati nella placente . . .
» lochè solamente siegue finchè dimorano là dentro,
» ma non già quando escono alla luce, quando per-
» dono il nudrimento materno ; Igitur etc.

§. 209. *Objic. II.* Certum est, animam non corpus sentire ; atqui si anima in solo cerebro existeret, jam superfluus foret quinarius sensuum numerus ; ergo etc. Prob. min. Si anima existeret in solo cerebro, rerum sensibilium ideas per solum tactum in externo corpore factum sentiret, atqui hoc ad solum tactum spectat ; ergo ad solum tactum reducerentur omnes alii sensus ; adeoque etc.

§. 210. R. dist. maj. Si anima etc., universaliter loquendo, conc. maj., secus, n. maj. ; et eodem modo dist. min., et prima consa. n. secundam. Omnes itaque rerum sensibilium ideae oriri non possunt in mente, nisi ex impressione in corpore facta : et quoniam impressio quaelibet ad sensum tactus pertinet, idcirco quaecumque impressio est quidam tactus. At vero quia diversa sunt organa ( neque enim objectum visibile potest videri per aures, et sic de reliquis ratiocinando ), et diversa nervorum propagatio, ita ut alii ad oculos, alii ad aures appellent ; ideo diversa quoque sortiuntur nomina sensus : distinguuntur namque sensus, non sui natura, sed quia diversa sunt, quae praestant munia, ob diversam nervorum dispositionem, et tendentiam. Quia igitur ita nervi sunt dispositi, ut alii ad oculos, alii ad aures etc, sibi sternunt viam ; idcirco oculis competit munus videre, auribus audire etc. ; quae quidem diversa dispositio efficit etiam, ut

diversimode quoque appellentur sensus. Cum autem quinque modis disponantur filamenta nervorum, fit exinde, quod quinque praecipue sint organa sensus ad externas recipiendas impressiones, ut valeant earum ideas animae deferre.

§. 211. *Contra*; Atqui hac etiam supposita doctrina, non potest tuto adstrui quinarius sensuum numerus, sed unus omnino debet sensus admitti; ergo n. r. Prob. subm. Certum est, tactum oriri ex motione externa in sensu externo facta; certum pariter, innumeras esse motus species; certum tandem, res externas innumeris modis posse sensus externos incurrere; ergo vel innumerae etiam sunt admittendae sensuum, et sensationum species, si quinque admittantur; vel unus tantum erit sensus; primum est falsum; verum ergo secundum; igitur hac etiam etc.

§. 212. R. n. 1. partem primae consae. Inficiari non possumus, tactus ideam minime posse haberi, nisi externa quoque hebeatur impressio, multiplicem esse motum, et tandem res externas moltiformiter posse sensus afficere; at vero non est exinde inferendum, multiplicem quoque, praeter quinque, esse sensuum speciem. Non enim nos quinarium sensuum numerum designamus, quia quinque sunt motus species, aut quia quinque modis possunt res externae motiones excitare in sensus; sed quia corpus humanum quinque tantum organis est instructum: adeoque, quia etiam quinaria est nervorum dispositio, ac per consequens, quia quinque modis possunt a rebus sensibilibus organa affici. Sic de eadem aqua duplicem habere possumus sensationis ideam; si namque aqua tactum motu suo afficit, mens sibi tactus ideam cudit; et quoniam suo motu quemdam sonum etiam excitat; et aures movet; idcirco habemus etiam per auditum ideam soni. Sensus igitur vere, et proprie loquendo unus est in se, cum una sit anima sentiens; at vero, quia quinque sunt organa, et non plura, idcirco etiam quinque sensuum species designari solent, non autem plures.

§. 213. *Contra*; Atqui adhuc multiplex, quam quinarius, admitti debet sensus; Ergo etc. Prob. subsm.

Nervi sunt per totum corpus diffusi ; Ergo in quacumque corporis parte haberi potest sensatio ; adeoque, etc. Prob. prima consa : Si per totum corpus sunt nervi diffusi, jam per totum corpus est organum aptum ad excipiendas sensationes ; ergo etc.

§. 214. R. n. seq. antis. Verum utique est, existere per totum corpus nervos diffusos, ut possint universaliter quidem excipi sensationes ; non autem peculiari modo, et specifice. Specifice namque sensatio, ex diversa organorum specie, dispositione, structura, et affectione a circumstantibus corporibus producta repetenda est ope nervorum attendentium ad diversa organa. Jam vero cur anima non intelligat, non videat, non audiat in pede, in brachio, atque in digito, licet tota, quanta est, in iis corporis partibus reperiatur ? quia forte istiusmodi partes non sunt organa ad id muneris apta ? verum ut quid opus est organis, ubi mens entitative reperitur, et nervi, atque fibrae per totum corpus sint diffusi ? a diversitate, capacitate, et aptitudine organorum repetenda est diversa quoque sensatio, sensusque diversitas ; organa autem quinque modis sunt inter se diversa ; capacia, et apta ad impressiones recipiendas ; ergo etc.

*Objecta alia extra Syllogisticam methodum.*

§. 215. I. Homo componitur ex anima et corpore ; Ergo totum corpus est animatum ; Adeoque etc.

II. Esto lethargi, aliorumque malorum tempore sensationes cessent, nihil officit ; quin dicamus, animam per suam entitatem per totum corpus esse diffusam ; Nam licet cannae musicae sonum non edant, cum earum orificia sint clausa ; non ideo tamen dici potest in illis non esse aerem ; igitur a pari etc.

III. Anima hominis ad Dei similitudinem facta est ; Atqui Deus est immensus, et in omni loco per suam substantiam ; Ergo et anima in omnibus corporis partibus esse debet.

IV. Tandem. Patres in Conciliis Viennense, et Lateranense V. juxta propriam sententiam, definierunt, animam esse veram, et essentialem corporis formam; Atqui propria sententia erat, animam per totum corpus esse diffusam; Ergo etc.

§. 216. R. ad singula. Et ad I. dist. cons. corpus est animatum virtualiter, conc., formaliter, et entitative, n. consm. Ex quo homo componatur Anima et corpore, non ssquitur, necessario totum corpus ab anima rationali entitative informari debere; nam potest anima in cerebro tantum entitative residens actiones totius corporis spontaneas producere, ut de facto producit, ope nervorum, et spirituum animalium, qui apti sunt ad cerebrum usque deferendas mutationes omnes praeter naturales, quaecumque in parte corporis ipsa contingant.

Ad II. n. paritatem. Nam ideo cannae musicae, laudato in casu, sonum non edunt, quia desunt ad sonandum requisita; sunt enim clausa earum orificia, quae aperta esse deberent, ut sonum edant. E contra vero tempore lethargi anima sentire deberet, quia ad sentiendum requisitas conditiones habet. Sane ad sentiendum requisita haec sunt; impressio scilicet in organo sensorio, et potentia sentiens; jam utraque, lethargi tempore, habetur; adest impressio in organo sensorio, et adest anima sentiens, quia per adversarios per totum corpus diffusa; Igitur etiam tempore lethargi sensationes fieri deberent, si anima per totum corpus foret diffusa; Adeoque etc.

Ad III. Similitudo animae cum Deo non consistit in diffusione ipsius per totum corpus, sed in illo rationis lumine, quo anima cognoscit, intelligit, libereque vult.

Ad IV. tandem. Laudati Patres dicendo animam esse formam corporis, intellexerunt, animam, et corpus esse unum per se existens, et Animam esse principium omnium corporearum actionum, quae aliunde oriri nequeunt; hocque definierunt contra quosdam antiquos Philosophos, qui asserebant, animam esse formam corporis assistentam. Nos vero veram corporis formam &-

nimam dicimus, licet entitative per totum corpus diffusa non sit (a).

## CAPUT II.

### *De Commercio inter Animam et corpus.*

§. 217. *Defi.* Commercium hic nobis est reciprocus ille, ac vere mirabilis consensus, qui est inter Animam, et corpus; inter motiones hujus, et notiones illius, atque vicissim; ut nempe excitatis quibusdam motionibus in corpore, statim his correspondeant certae notiones in Anima; et vicissim excitatis notionibus in Anima statim his correspondeant certae motiones in corpore.

§. 218. *Animad.* Commercium hoc non ingrediuntur actiones illae, quae mere naturales sunt, uti *sanguinis circulatio*, *cordis palpitatio*, *respiratio*, *nutritio etc.* (§. 145.); hae namque mentis imperio non subjiciuntur, sed per purum corporis mechanismum exequuntur; neque pariter ad commercium spectant actiones illae, quae intus in anima fiunt, in eaque permanent, nec ullum respiciunt effectum extra mentem producendum; Cujusmodi est *intimus sensus*, seu *conscientia*.

§. 219. *Schol.* Porro inter Animam et corpus commercium esse debere, vel ex eo solum patere posset, Animam nempe esse substantiam regendo corpore destinatam; adeoque inter ipsam et corpus relationem, et dependentiam intercedere; alias quomodo intelligi

---

(a) Qui alios circa hanc materiam legere vult, legat P. Josephum Jo: Potestium Psychol. Sect. III. Cap. II. P. Jaquier Metaph. P. II. Cap. II. Art. II. Odoardum del Giudice Psycol. Sec. II. Cap. I.

posset. Animae imperio corpus moveri, et corporis motionibus Animam percelli?

### *Nonnulla Commercii phaenomena.*

§. 220. *Statim ac organa corporis sensoria ab externa caussa perculsa sunt, et motus a tali percussione productus, ad commune sensorium propagatur, modo anima non sit alio distracta, necessario in ea oritur perceptio huic motui proportionalis, quae tandiu perseverat, quandiu perseverat motus. Ad nutum quoque animae, modo corpus perfecta sanitate gaudeat, motus voluntarii in eo fiunt, qui voluntatis actibus sunt proportionales.*

II. *Corpore morbo, vel doloribus affecto, etiam anima, certo modo, infirmitate atque languore afficitur; contra vero illo sano, et ista exacte se habet;* hinc est ut videatur anima in infirmo corpore infirmari, in sano, sanitate gaudere, in pueris debilitari, vigere in juvenibus, atque in senibus languescere (§. 49.).

III. *Orta vehementi, atque extraordinaria sanguinis, fluorisque nervosi commotione, perturbatio pariter in anima oritur, idearumque confusio: Contra anima affectibus agitata, vehementior sanguinis, atque fluoris nervosi motus in corpore oritur.* Ex his porro aliisque id generis phaenomenis, quae constanti experientia in nobis, aliisque hominibus observantur, plane sequitur

§. 221. *Coroll. 1.* Animam et corpus arctissimo vinculo inter se colligari; adeoque

§. 222. *Coroll. 2.* Verum, et reale commercium, non vero apparens et fictitium inter Animam, et corpus dari; hoc est vere, et realiter animam agere in corpus, et corpus in animam.

§. 223. *Animad.* Licet autem hic, ut verum et reale a nobis statuatur animam inter, et corpus commercium, non ideo putandum est, nos clare percipere quo pacto illud peragatur. Sane quomodo fieri possit

ut Anima, quae spiritualis est substantia, et omnino partibus carens, agat in corpore materiali, et partibus constante, id usque modo inter occulta naturae arcana est repositum, neque ulli unquam mortalium datum est cognoscere. Quare. *Nihil tutius inquit Cl. Joannes Clericus animo candida ignorantiae nostrae professione. Certissime novimus, esse aliquem inter cogitationes nostras et motus membrorum nostrorum nexum; quoniam haec invicem excitant, et sibi vicissim succedunt. Verum qua ratione motus in membris excitatus cogitationem in mente procreet, et vice versa, hoc demum est, quod penitus ignoramus. Possumus quidem, conjunctionem in nobis esse inter cogitationes, et motus contendere, ita ut sit quaedam inter ea reciprocatio; sed quomodo haec fiant, prorsus nos fugit.*

§. 224. *Schol.* Tria nihilominus Systemata pro explicando animae cum corpore commercio a Philosophis adinventa sunt: primum dicitur *caussarum occasionalium*, sive *adsistentiae*; secundum *Harmoniae praestabilitae*; tertium *Physici influxus*. In primo ponitur, Deum immediate animam, et corpus modificare, ita ut utriusque operationes sibi invicem exactissime respondeant. In secundo statuitur, Deum tam animae, quam corpori quamdam continuatam seriem actionum communicasse, quae invicem sibi responderent, quin revera una substantia in aliam influere statuitur, et corpus in animam. In praesenti Capite ad examen revocabimus tantum Systema caussarum occasionalium, duo autem alia, distinctis Capitibus, expendemus.

§. 225. *Def.* Systema caussarum occasionalium est hypothesis, in qua corpus et anima vi effectrice spoliantur, ita ut neque anima agat in corpus, neque corpus in animam, sed Deus est, qui actione sua modificet corpus ex occasione cogitationum animae; et animam modificet ex occasione motionum corporis.

§. 226. *Schol.* Non aliter certe hoc Systema a suo acerrimo defensore Malebranchio exponitur. Ita enim scribit (Réch. de la verit. t. 6. C. 2. ch. 3.): « » Omnes caussas naturales non esse veras caussas, sed

» tantum caussas occasionales, et alias veritates, quae » ab his sequuntur, paucis probare opere pretium est. » Nulla corpora, magna, parva, praedita esse vi se se » movendi evidens est ..... Vis movens corporum non » est igitur in corporibus, quae moventur, cum vis illa » movens nihil sit aliud, quam Dei voluntas .... Ve- » rum enim vero, non modo corpora non possunt esse » verae caussae illius rei; mentes etiam nobilissimae in » eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere » nisi Deus eas illuminet: nihil possunt sentire, nisi » Deus ipsas modificet: nihil possunt velle, nisi Deus » ipsas versus se moveat etc. » Verum sit ne admitten- dum hoc Systema caussarum occasionalium, non sunt invicem consentaneae

*Philosophorum sententiae.*

§. 227. Et quidem omnes illi qui vim activam creatis rebus denegant ( §. 68. Ont. ), omnem quoque vim animae in corpus, et corporis in animam inficiantur. Quoad vero praesens, et peculiare Systema, esto non desint, qui Cartesium ejus auctorem faciant, merito tamen alii hoc denegant. Constat namque; Cartesium, intimam animae cum corpore conjunctionem, atque utriusque inter se dependentiam agnovisse; Scripserat enim ( in Medit. VI. Cap. 38 ) » Alioquin cum cor- » pus laeditur, ego, qui nihil aliud sum, quam res » cogitans, non sentirem idcirco dolorem; sed puro in- » tellectu laesionem istam perciperem, ut nauta visu » percipit si quid in navi frangatur, et cum corpus » cibo, et potu indiget, id ipsum expresse intellige- » rem, non confusos famis, et sitis sensus haberem, » nam certe isti sensus nihil aliud sunt, quam con- » fusi quidam cogitandi modi, et quasi permixtione » mentis cum corpore exorti ». Inter eos vero Syste- matis hujus assertores et vindices, Nicolaus Malebran- chius praecellit, quem sequuntur Cordemoi, Sturmius, Antonius Vernejus, Auctor Institutionum Philosophi-

carum Lugdunensium, Antonius de Martiis, alique; Contra quos stant celebriores, cordatioresque Philosophi. Quid autem nos ex infra dicendis, mox patebit.

## THEOREMA I.

*Caussarum occasionalium Systema obscuram loquendi rationem continet.*

§. 228. *Demon.* Nam per Malebranchium Anima et corpus omni vi activa destituuntur (§. 227.); interim Deus ex perceptionibus et volitionibus animae sumit occasionem producendi motiones in corpore; et vicissim, ex motionibus corporis sumit occasionem producendi perceptiones, et volitiones in anima. Quaeso: volitiones, et perceptiones in anima, ex quibus Deus occasionem sumit producendi motiones in corpore, dum excitantur, a quonam excitantur? ab anima, an a Deo? Ab anima: nequaquam; nam si hoc esset, quia perceptiones, et volitiones sunt actiones (§. 17. 100.), Anima, quae eas excitaret, operaretur; adeoque vi activa praedita foret, quod negat Malebranchius; Igitur a Deo immediate; Deus ergo ipsemet est, qui excitat perceptiones, et volitiones in anima, et qui ex ipsis volitionibus, et perceptionibus a se excitatis occasionem sumit producendi motiones in corpore. Verum quis hanc loquendi rationem intelliget? Ergo etc.

§. 229. *Coroll. 1.* Systema itaque Caussarum occasionalium Dei actiones multiplicat. Per plura enim in eo admittuntur fieri a Deo, quae utique, per longe pauciora fieri ab ipso possent; vim nempe activam utrique substantiae, animae nempe, et corpori tribuendo; Quare.

§. 230. *Coroll. 2.* Tale Systema Divinae sapientiae adversatur. (Confer quae exposita sunt §. 73. Ont.)

# THEOREMA II.

*Caussarum occasionalium Systema intimo sensui repugnat.*

§. 231. *Demon.* Nam intimo sensu persentiscimus vivide, constanterque, ad animae volitionem, motiones in corpore produci; et excitatis motionibus in corpore, modo aliud non obsit, produci perceptiones in anima (§. 220.); Animam nempe vere et realiter in corpus, et corpus in animum agere, miro consensu, et harmonia inter se (§. 222.); atqui in Systemate caussarum occasionalium omnis actio animae in corpus tollitur, et corporis in animam (§. 223.); Ergo etc. Deinde illud intimo sensui repugnat., quod contradictionem involvit; Atqui caussarum occasionalium Systema contradictionem continet; Ergo etc. Prob. min. In Systemate laudato, Anima substantia cogitans recognoscitur (admittitur enim spiritualis naturae); Atque interia vi activa destituitur; Atqui esse animam cogitantem, et non habere vim activam est contradictorium; Ergo etc. Prob. min. Cogitatio est actio animae (§. 100.); Ergo dicere animam esse substantiam cogitantem, est dicere, Animam vi activa pollere; Itaque dicere animam esse substantiam et simul vi activa destitutam, est idem ac dicere, Animam esse simul substantiam activam, et non activam; Atqui hoc contradictionem implicat; Ergo etc. Q. E. D.

§. 232. *Coroll.* Hoc itaque Systema ineptum prorsus est ad animae cum corpore commercium explicandum. Tollit namque realem eorum ad invicem dependentiam; quare commercium tollit, non explicat.

## THEOREMA III.

*Caussarum occasionalium Systema animae essentiam destruit.*

§. 223. *Demon.* Nam caussarum occasionalium Systema omnem ab anima tollit vim, et actionem; eamque facit mere passivam (§. 226.); Sed cogitatio est actio (§. 17. 108.); Ergo ab anima tollit cogitationem, imo vim ipsam cogitandi: Atqui vis cogitandi, sicuti et cogitatio ipsa, sunt attributum animae essentiale (§. 100.); Igitur etc. Prob. consa. Posito entis essentiale attributum ponitur ens, ipso ablato, et hoc aufertur (§. 202. Ont.); Atqui cogitatio, et vis cogitandi sunt animae essentiale attributum; Ergo ablata cogitatione, et vi cogitandi, tollitur anima ipsa; Adeoque etc. Q. E. D.

## THEOREMA IV.

*Caussarum occasionalium Systema humanae naturae est valde injuriosum.*

§. 234. *Demon.* Nam illud Systema est humanae naturae injuriosum, quod hominem libertate privat, omni vi activa spoliat, illumque reddit veluti pupa in manu Dei; Atqui tale est occasionalium caussarum Systema; Ergo etc. Prob. min. In Systemate caussarum occasionalium Deus ponitur auctor actionum humanarum; quippe nec anima, nec corpus vim habent ex seipsis agere; Si ergo anima nequit vi sibi propria in corpus agere, et vicissim; quidquid ab homine agi videtur, non ab homine, sed a Deo vere et proprie agitur; Atqui quod vi agendi destituitur, pro lubitu

agere nequit ; Ergo libertate caret ; Adeoque etc. , et consequenter etc. Q. E. D.

§. 235. *Coroll. 1.* In hoc ergo Systemate Deus esset auctor peccati , non homo ; homo namque est instrumentum inutile , et sicuti libertatis , ita et moralitatis incapax ; et si volitiones , volitionesque a Deo in homine excitantur , Deo utique omnia hominis opera tribuenda erunt sive bona , sive mala sint. Quare.

§. 236. *Coroll. 2.* Hoc Systema summam injuriam Deo irrogat. Statuit enim Deum ab humanis actionibus pendere ; facit eum auctorem peccati , aut saltem ad peccatum positive concurrentem ; hinc injustum , quoties punit homines , qui dicuntur peccatores ; Atque tandem ad patranda continua miracula adigit.

§. 237. *Coroll. 3.* Dei leges , et morum regulae, posito hoc Systemate , erunt inutiles ; imo Deus sibi contradiceret ; quippe ut auctor naturae crearet in nobis ideas , et eas , ut Legislator , contemplari prohiberet.

## PROPOSITIO

***Caussarum occasionalium Systema nequit a viro Philosopho assumi ad explicandum animae cum corpore commercium.***

§. 238. *Demon.* Nam tale Systema obscuram loquendi rationem continet. (§. 228.) ; intimo sensui repugnat (§. 231.) ; Non explicat , sed tollit omne commercium animam inter , et corpus (§. 232.) ; immo animae essentiam destruit (§. 230.) ; Atque Deo (§. 236.) ; humanaeque naturae est valde injuriosum (§. 234.) ; facit enim hominem inutile instrumentum in manu Dei (§. 235.) ; Deumque ipsum peccati auctorem (§. 235) , et injustum (§. 236.) ; sibique contradicentem (§. 237.) ; Ergo etc. Q. E. D.

*Satisfit contrariis argumentis.*

§. 239. *Objic. I.* Si mens humana vim haberet producendi sibi ideas, haec vis esset participatio divinae potentiae, quae mentem ipsam a Deo independentem constitueret; Atqui participatio divinae potentiae, quae mentem a Deo independentem constitueret chimerica est, et merum ignorantiae, et vanitatis humanae figmentum; Ergo falsa propositio.

§. 240. R. n. maj. Vis producendi ideas, quae menti tribuitur, quae ipsi congenita a nobis dicitur, est quidem participatio divinae potentiae, quatenus a Deo est communicata; at mentem ipsam a Deo indipendentem non constituit. Quis enim ignorat, mentem humanam a Deo pendere, non solum in *esse* et *conservari*, sed etiam *in operando*? Quapropter nisi Deus auxilium suum praestet, quo vim illam activam a se communicatam in suis actibus concomitetur, numquam posset in actus erumpere. Salvatur itaque dependentia mentis a Deo, etiamsi potentia sibi ideas producendi polleat.

§. 241. *Contra.* Atqui vis producendi sibi ideas, quae vulgo menti tribuitur, esset talis participatio divinae potentiae, quae humanam mentem a Deo indipendentem constitueret; Ergo n. r. Prob. subsm. Vis isthaec est attributum plane divinum; adeoque indipendens suapte natura a quovis extrinseco; ergo vis etc. Prob. ans. Vis qua conditus est hic Mundus adspectabilis, est vis divina divinum attributum a quovis alio extrinseco independens; sed vis producendi sibi ideas est longe major vi condendi hunc Mundum adspectabilem; quippe a tali vi productrice idearum conditur Mundus intelligibilis, et spiritualis, qui longe nobilior censeri debet hoc Mundo materiali; revere ergo vis isthaec, qua mens etc.

§. 242. R. n. min. falsum quippe est, quod tanquam certum sibi adsumit Malebranchius, Mundum

nempe intelligibilem, et spiritualem esse longe nobiliorem, atque perfectiorem hoc Mundo materiali. Et quid enim intelligit Malebranchius nomine Mundi intelligibilis et spiritualis, nisi ipsas ideas, quae menti exhibent hunc Mundum corporeum? At hujusmodi ideae, cum sint purae mentis modificationes, mera accidentia, censeri nullo modo possunt entia nobiliora, atque perfectiora, quam sit hic Mundus adspectabilis, quia ex variis realibusque substantiis, nedum corporeis, sed etiâm spiritualibus, intrinsece constituitur.

§. 243. *Contra.* Atqui vis producendi sibi ideas est longe major vi illa, qua conditus fuit hic Mundus adspectabilis; sive melius, longe difficilius est efformare ideas, quam producere hunc Mundum adspectabilem; ergo n. r. Prob. subsm. Longe difficilius est educere unum ens ex alio, quod sit generis plane diversi, quam illud producere penitus ex nihilo. Atqui dum efformantur ideae, educuntur ex entibus, generis omnino diversi, hoc est ex impressionibus materialibus in cerebro factis; Mundus vero hic adspectabilis ex nihilo fuit eductus; Ergo etc.; adeoque etc.

§, 244. R. n. min. Quis unquam dixit, materiales impressiones, quae in cerebro existunt concurrere ad idearum efformationem, veluti partes ex quibus illae intrinsece componantur? Id quidem docent Epicurei, et Hobesiani, qui mentem corpoream existimantes, illius perceptiones, et ideas a cerebri impressionibus, non distingunt; at nos, qui et mentem, et ideas entia dicimus spiritualia, non possumus ita delirare. Dicimus solum, mentem, quamdiu corpori unita est, indigere corporeis illis imaginibus, ut rerum sensibilium ideas efformet. Cum enim sit illa indifferens ad has, vel illas ideas cudendas, necesse profecto est, ut ab externarum rerum imaginibus in cerebro exaratis ipsa determinetur ad hanc, vel illam ideam efformandam.

§. 245. *Objc. II.* Systema caussarum occasionalium eo vel maxime rejicitur, quia humanam laedit libertatem; atqui tale Systema humanam non laedit libertatem; Ergo falsa propositio. Prob. min. Ex quo animae virtus insit sibi ideas producendi, non sequitur

eam liberam non esse quoad suas volitiones, et nolitiones; Ergo etc.

§. 246. R. dist. ans. Ex quo etc., si non esset caussa mere occasionalis, conc,; secus, n. ans, et consm. Juxta Systema Malebranchianum, mens nihil operatur, quia in eadem impotentia est ac ipsum corpus (§. 226.). Nam quemadmodum per ipsum corpus nihil operatur, sed propter occasionem volitionum, et nolitionum animae, Deus habet occasionem, ut moveat corpus; ita anima nulla virtute activa est praedita, sed solum ex occasione impressionum corporis, Deus ipse est, qui operatur; Si enim virtute activa polleret suas volitiones producendi, non omnis caussa creata pro occasionali habenda foret, secus ac ipsi docent Occasionalistae. Occasionalis quippe caussa non est, quae innata sua vi, aliquid immediate producit. Praeterea ideo per summum occasionalistam Malebranchium, nequit mens humana rerum ideas in se cudere, quia licet rerum ideae non sint nisi certae modificationes mentis, earum tamen productio est vera creatio; Ergo nihil omnino producere potest mens, si virtutem non obtineat ideas producendi. Qnaliscumque enim esse potest affectio, quae ab humana mente fieri active dicetur, stabit semper, posita Malebranchii doctrina, creandi facultate humanam mentem pollere.

§. 247. *Contra*. Atqui licet anima sit caussa occasionalis, non tamen sequitur liberam non esse; ergo n. r. Prob. subsm. Quidquid Deus operatur juxta determinationes mentis, ipsa semper remanet libera; Ergo etc. Prob. ans. Deus vidit ultimam determinationem voluntatis, et juxta illam ipse Deus operatur; sed in tali casu voluntas libera esset; ergo etc. Prob. min. Illa facultas libera dicitur, quae juxta suam volitionem operatur; sed in tali casu juxta suam volitionem operaretur; ergo etc.

§. 248. R. dist. maj. Illa facultas etc. si haberet potentiam se se determinandi, c. maj., si non haberet, n. maj. Sed in tali casu etc., dist. min. si in ipsa esset virtus se determinandi, conc. min.; si non esset, n. min., et consm. Si Malebranchianum

Systema recte consideramus, patebit, Animae humanae vim deesse se se determinandi: cum ipsa omni virtute activa sit prorsus destituta; nam ipso auctore Malebranchio, in eadem versatur impotentia ac ipsum corpus; corpora autem in ea sunt impotentia, ut non solum moveri ex se non possint, sed nec etiam determinari ad motum; neque ergo anima habet potestatem se se determinandi; in corporibus autem nullum est vestigium libertatis; ergo neque in anima.

§. 249. *Contra*. Atqui semper in tuto remanet libertas animae in Systemate caussarum occasionalium; Ergo n. r. Prob. subsm. Licet anima nostra nihil operetur, sed solus Deus, tamen ea lege producit Deus in anima volitiones, qua producerentur ab ipsa anima, si activa virtute polleret; ergo etc.

§. 250. R. n. Humana libertas in tuto non esset etiamsi Deus operetur juxta determinationes voluntatis nostrae mentis, quemadmodum non conceditur libertas ipsis corporibus, quae indigent determinatione extrinseca, ut moveantur. Liberi quippe essent etiam motus corporis, si ad actionis libertatem hoc unum sufficeret, ut eo modo actio ipsa a Deo in subjecto producatur, quo produceretur si libere operari valeret. Neque dicere valet repugnare corporibus libere moveri., quia non secus de humana voluntate opinari quis posset. Aut enim repugnat, ut mens determinare seipsam valeat, aut non repugnat? si non repugnat, quaero, cur humanae menti hanc vim Deus non contulerit? Et undenam id factum modo non esse intelligetur? Si autem repugnat; ergo mentis, et corporum par conditio est; ac proinde vel etiam motus a corporibus libere prorsus produci, vel neque appetitiones libere ab humana mente eliciuntur. Remanet igitur, aut mentem humanam praeditam esse intrinsecus, vi, sive potentia se se determinandi, et nullum est caussarum occasionalium Systema, aut mentem ipsam intrinseca agendi vi destitutam esse, et in quo casu penitus convellitur, et evellitur ab Occasionalistis humana libertas.

*Objectiones aliae extra formam.*

§. 251. I. ideo rejicitur Occasionalistarum Systema, quia intimo sensui repugnare videtur, qui dictat, animam vere agere in corpus, et vicissim; Atqui hoc revera tale non est; Ergo etc. Prob. min. Mens decipitur, dum hoc judicat; actio enim quae fieri videtur ab anima, non ab anima, sed a Deo fit juxta volitionem animae.

II. Si mens nostra vi sibi propria in corpus ageret, deberet percipere quomodo cogitat, et etiam quomodo movet corpus, dum ad motum, illud determinat; Atqui hoc anima non percipit; Ergo etc.

III. Ideo nobis videtur, mentem dum cogitat non agi, sed agere, quia caussa nobis non apparet, a qua tunc illa determinetur, et agatur; ergo perperam rejicitur Systema.

IV. Tandem. Ut anima moveret corpus, deberet esse connexio aliqua necessaria inter ejus voluntatem, ex gr., movendi brachium, et motum brachii; Atqui nulla datur hujusmodi connexio; Ergo etc.

§. 252. R. ad singulas. Et ad I. falsum est, mentem nostram decipi, dum sentit, vi sua, non aliena moveri, cum adeo clara, atque evidens sit cognitio, quam habet mens de sua operatione dum cogitat, ut nihil aliud clarius excogitari possit. Nam sicuti evidens nobis est cogitare, et percipere, dum cogitamus, et percipimus, ita eadem evidentia cognoscimus nos agere, non vero aliam esse extra nos caussam, qua mediante, motus in anima fiunt.

Ad II. R. n. maj. Quamquam mens nostra nesciat quomodo corpus moveat, quae videlicet partes; neque pariter percipiat quomodo ex impressionibus factis in organis sensoriis excitetur in ipsa perceptio illius rei, tamen non decipitur dum cognoscit se percipere et agere, non vero agi ab ipso Deo. Et sane sicuti certum est, mentem nostram nescire quomodo moveat cor-

pus, ita pariter certum est, operare dum cogitat, non vero Deum agere ad impressionem factam in corpore.

Ad III. R. Id dici non posse, quia consci nobis sumus, mentem esse irrequietae naturae, sibique moderari dum cogitat; quia dei eterna impellente caussa, ne quidem levissime cogitemus, quod et ipse Malebranchius fateri coactus (Lib. de inquir. verit. Cap. II. ad 2. arg. resp.) ita scripsit: » Inter mentes nostras, et » corpora, quae nos ambiunt, multum est discriminis, » Mens nostra vult, agit, se aliquo sensu determinat, » fateor. Hujus veritatis, sensu interno, quem in no» bismetipsis habemus, seu conscientia convincimur. Si » nulla nobis esset libertas, nec praemia, nec poenae » futurae essent. Nam sine libertate nec bonae, nec » malae sint actiones. Itaque Religio esset mera chi» mera. At corpora vi agendi praedita esse, illud de» mum est, quod nec clare videmus, nec concipere pos» se existimamus, et illud quoque est, quod negemus, dum » caussarum secundarum efficaciam negamus «. Mens ergo etiam Malebranchii judicio, vult, agit ac se se aliquo sensu determinat; idque sensu intimo cognoscimus.

Ad IV. tandem. R. dist. maj. Si anima etc., deberet etc. inter ejus formaliter voluntatem, et motum brachii, n. maj., secus, conc. maj., et dist. min. Nulla adest etc., et aliunde mens humana brachium movet per suam formaliter voluntatem, n. min. per suam potentiam, seu vim activam, conc. min., et n. consm. Quando anima producit motum in corpore, non solum elicit actum volitionis, quo tales imperat motus, vel suam etiam exercet potentiam, cujus physica, realique actione corpus ad motum determinat. Nemo quippe non experitur, nisum quemdam, et conatum exercere, quando magna cum celeritate vult brachium exagitare. Nemo quoque non experitur, data volitione in anima movendi brachium, aliquando facilius, difficilius aliquando brachium moveri, quod optime intelligi, et explicari poterit, si ejusmodi motus ab anima, tanquam a caussa efficiente repetatur, quae modo languidius, modo vividius operari, ejusque resistentiam modo levius, modo celerius superare possit. Si enim solus Deus

corpus exagitat, quorsum ille nisus, et conatus in anima? Ergo etc.

## CAPUT III.

### *Harmoniae praestabilitae Systema expenditur.*

§. 253, *Def. Systema praestabilitae harmoniae*, ait Wolfius (In Psychologia rationali), *dicitur illud, quo commercium animae, et corporis explicatur per seriem perceptionum, atque appetitionum in anima, et seriem motuum in corpore, quae per naturam animae, et corporis harmonice sunt, seu consensiunt.*

§. 254. *Schol.* In Systemate harmoniae praestabilitae Anima et corpus concipiuntur veluti duo authomata, sive machinae, quarum una independenter ab alia suas paragit functiones, quae tamen harmonice sibi invicem correspondeant. Corpus nempe vi proprii mechanismi suos exequitur motus, qui serie non interrupta sibi invicem succedant, indipendenter ad anima; et anima per vim sibi propriam, suas peragit actiones independenter a corpore, quae actiones continuata serie sibi invicem succedant, adeo, ut in antecedenti ratio sufficiens subsequentis contineatur. « Fac, » inquit Leibnitius, duo horologia sibi invicem similia, » ut neque in magnitudine, neque in structura distin- » guantur; rotae unius moveantur ut alterius rotae; pen- « dulum unius oscillet ut alterius, et sic appensa ma- » neant ad parietem cubiculi. Certum est; quod si » rusticus, aut qui nuspiam horologia viderit, utriusque » machinulae motus, et structuram observaverit, judi- » cabit profecto, licet temere, machinas illas mutuo quo- » dam, physicoque influxu operari, non diversa ratione » se habent Anima, et corpus ».

§. 235. *Animad.* Harmonia haec qnae animam inter et corqus ponitur, vocatur praestabilita, quia a

Deo Optimo Maximo statuta est. Praevidens quippe Deus omnes animarum actiones, ipsarum unicuique tale corpus destinavit, quod per vim sui mecchanismi, motus actionibus illius conformes, habere debebat.

§. 256. *Coroll. 1. In Systemate igitur harmoniae praestabilitae*, ex Wolfio (Psyc. Ont. Sect. 3. c. 4.), *perceptiones, et appetitiones in anima, eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret.*

§. 257. *Coroll. 2. In Systemate harmoniae praestabilitae, vi mechanismi corporis ex ideis materialibus sensibiles nascuntur motus volitionibus, et appetitionibus animae respondentes, citra ullam determinationem extrinsecam, et immediatam. Et eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiam si anima non existeret, nisi quod nobis eorumdem minime conscii essemus.* Sed videamus quaenam sint, circa hoc Systema

## *Philosophorum sententiae.*

§. 258. Circa praestabilitae Harmoniae Systema duae sunt, oppositae inter se, Philosophorum sententiae. Prima est illorum, qui putant, commercium animam inter et corpus recte, optimeque per hoc Systema explicari posse; Atque hujus sententiae defensor fuit Gulielmus Leibnitius, ipsiusmet Systematis inventor, cui strictissimae adhaesit Wolfius, qui pro harmonia praestabilita, veluti pro aris, et focis se pugnare ostendit. Hos secuti sunt Bulfingerus, Thummigius, Cantius, Mejerus, aliique, licet inferioris notae Philosophi: Secunda est illorum, qui sustinent, laudatum Systema ineptum prorsus esse, quo animae cum corpore commercium explicari possit. Hujus sententiae sunt omnes fere alii Philosophi; inter quos precipue qui Harmoniae praestabilitae Systema impugnaverunt, optimo jure censeri possunt Fucherius Canonicus Divionensis, Baylius, Franciscus Lamy, Newtonus Clarckius, Reimbeckius, Au-

tonius Genuensis, et Fortunatus a Brixia. Quibus et nos adjungimus. Unde sit.

## THEOREMA I.

*Animam et corpus, absque ulla ab invicem dependentia, proprias functiones exequi, nequit ullo pacto demonstrari.*

§. 259. *Demon.* Si posset id aliquo modo demonstrari, vel demonstraretur a priori, vel a posteriori (§. 306. Log); Atqui neque a priori, neque a posteriori potest id demonstrari: non a priori, quia tam intrinseca animae natura, quam corporis integra constitutio, atque structura nobis est incomperta; non a posteriori, et per effectus, quia commercii phaenomena (§. 220.) indicant potius oppositum, animam nempe pendere a corpore, atque in corpus agere, et vicissim corpus, in suis motionibus, ab anima pendere; Ergo etc. Q. E. D.

261. *Coroll.* Harmoniae igitur praestabilitae Systema gratis sustinetur; nullis namque solidis nititur principiis; adeoque est Philosopho indignum.

## THEOREMA II.

*Harmoniae praestabilitae Systema destruit commercium Animam inter, et corpus.*

§. 261. *Demon.* Nam tale Systema tollit omnem dependentiam animae a corpore in agendo, et corporis ab anima, ita ut anima, etiamsi corpus non extaret, eodem modo operaretur (§. 256.); et corpus, etiamsi anima non extaret, eodem modo moveretur §. 257.).

Atqui in hoc consistit animae commercium, ut nempe corpus, et anima invicem dependeant, atque sibi mutuo correspondeant (§. 217.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 262. *Coroll.* Systema igitur harmoniae praestabilitae ineptum omnino est, quod usurpetur ad explicandum commercium animam inter, et corpus.

## THEOREMA III.

*Harmoniae praestabilitae Systema principium rationis sufficientis evertit.*

§. 263. Nam in hoc Systemate multi assignantur Animae status, quorum ratio sufficiens nequit in antecedentibus statibus contineri; veluti cum mens illico a statu gaudii ad statum transit doloris etc. Quomodo enim gaudii status, rationem sufficientem status oppositi, nempe doloris in se continere potest? Praeterea » sunt animi quidam status (verba sunt Clariss. Ge» nuensis Metaph. P. II. prop. 27. p. 147.), quo» rum in corpore facilius, quam in animo reperieris » *rationem sufficientem*, quales sunt status cogitationum, » inter quas nulla est connexio, quod quilibet ipse per » se experiri potest. Sumat quis in manum Lexicum a» liquod linguae alicujus, Catalogum Plantarum, Ani» malium, aut aliarum rerum, Dictionaria Artium, » Scientiarum, Historiam; intra horam percurrere po» test duo millia verborum, idearum inter se nullo mo» do connexarum, plantarum dissimilium, animantium, » factorum hominum illustrium. Quis in omnibus his » dixerit rationem posterioris ideae aut perceptionis con» tineri in anteriore, et non potius in impressionibus » in sensibus, aut cerebro factis? Ex. gr. lego haec » verba Araon, Aristides, Aristippus, Averroes, Busiris, » Bucephalus, Binkersoek, Bilfingerus, Codrus, Cae» sar, Cesenates, Centaurus. David, Delphus, Dido: » Dantes etc., totidem obversantur menti perceptiones:

» est autem quisquam adeo ineptus, qui dicat rationem » sufficientem notionis Aristidis esse in perceptione Sum- » mi Sacerdotis Aaronis, Aristippi notionis in Aristide, » Averrois in Aristippo, Binkersoeki in Bucephalo? Le- » go haec Alpha, Aaron, Acanthus, Anchora, Amens; » Elephas, Cedrus, Persepolis, Pirus; Alexander Ma- » cedo, Homerus, Pirus, Ellipsis, Draco, Lepus, Qua- » dratum, Quercus, Luna, Diagonalis etc.; Tu ne » in his alterius perceptionis in altera rationem suffi- » cientem explicaveris? At nisi haec componant Leib- » nitiani, sciant, neminem esse adeo incognitatem, qui » haec sibi velit persuadere; Adeoque etc. Q. E. D.

## THEOREMA IV.

*Harmoniae praestabilitae Systema humanam destruit libertatem.*

§. 264. *Demon.* Voluntatis actiones aliae sunt elicitae, quae nempe a voluntate eliciuntur, et in ea quoque consumantur, aliae imperatae, quae a voluntate eliciuntur, sed viribus corporis exercentur; Atqui posito Harmoniae praestabilitae Systemate, humana voluntas neque quoad actiones elicitas, neque quoad actiones imperatas libera est; non quoad actiones elicitas, quia haec cum sint in continua serie, et posteriores in anterioribus rationem habeant sufficientem, animae volitiones, non amplius habent illam contingentiam, et indifferentiam ad libertatem necessario requisitam; neque quoad actiones imperatas, quia cum corpus nullam habeat ab anima dependentiam, nec anima ullum imperium in corpus, nullae in laudato Systemate dantur actiones, quae ab anima imperentur; et quae in corpore fieri observantur, vi solius mechanismi corporis ipsius fiunt, nec ullam habent cum anima relationem, ita ut etiam fierent, et eodem modo fierent, quo fiunt, licet anima non existeret; Ergo etc. Q. E. D.

## THEOREMA V.

*Systema Harmoniae praestibilitae Materialistis favet.*

§. 265. *Demon.* Illud Systema favet Materialistis, quod animae humanae existentiam in dubium revocat; Atqui tale est Harmoniae praestabilitae Systema; Ergo etc. Prob. min. Ex actionibus, quae fieri ab homine conspiciuntur certa redditur Animae existentia (§. 19.); Atqui per Systema Harmoniae praestabilitae eaedem actiones a corpore fierent, eodem modo, etiamsi anima non existeret; Ergo ex actionibus, quae fieri ab homine conspiciuntur nequit amplius certo adstrui animae humanae existentia; Adeoque etc. Q. E. D.

## THEOREMA VI.

*Systema Harmoniae praestabilitae ad idealismum recta ducit.*

§. 266. *Demon.* Nam semel admisso, uti fit in hoc Systemate, quod perceptiones, et appetitiones in anima, eodem quo nunc modo consequerentur, etiamsi corpus non extaret, undenam certi erimus corpora revera existere? Quis tuto persuaderi sibi poterit, substantias materiales non esse puras apparentias? Ergo etc. Q. E. D.

# THEOREMA VII.

*Harmoniae praestabilitae Systema Christianae Morali plane adversatur.*

§. 267. *Demon.* Nam Moralis Christiana vult ut desideria carnis non perficiamus, sed potius carnem crucifigamus cum vitiis, et concupiscentiis; ut corpus castigemus, et in servitutem spiritus redigamus; ut sensus nostros diligenter et caute custodiamus, ne per ipsos, veluti per fenestras, mors, et peccatum in nos intret. Supponit ergo Moralis Christiana, animam et corpus strictissimo foedere invicem conjungi; ad invicem relationem habere; Animam in corpus vere agere, ipsique dominari, et ab eo in rebus sensibilibus, et externis percipiendis pendere. Nam, *cum sit invisibilis anima*, scribit S. Gregorius Papa Lib. XXI. Mor. C. II.), *nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhaerens corpori, quasi quaedam egrediendi foramina, ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus et tactus quasi quaedam viae mentis sunt, quibus foras veniat, et ea quae extra ejus sunt substantiam, concupiscat. Per hos etiam corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quueque anima respiciens concupiscit.* Atqui in Systemate Harmoniae praestabilitae nulla admittitur relatio animae ad corpus, neque corporis ad animam: Anima in suis perceptionibus agit independenter a corpore, corpus, motus suos peragit, et operatur independenter ab anima; In anima nullum imperium, facultas nulla in corpus admittur; neque in corpore subjectio ulla animae imperio recognoscitur; Ergo etc. Q. E. D.

§. 268. *Coroll.* Systema itaque laudatum inhonestati favet, viamque latam voluptatibus carnis aperit.

# THEOREMA VIII.

*Harmoniae praestabilitae Systema cum Fide Catholica non satis cohaeret.*

§. 269. *Demon.* Nam *Fides est ex auditu.*; quomodo itaque ex auditu fides esset in anima: si in laudato Systemate anima sensibus corporis in suis perceptionibus non utitur, sed independenter ab ipsis operatur? Deinde Fides Catholica est, Verbum Divinum carnem ex Virgine assumpsisse; quibus autem argumentis id suaderi posset, admisso Systemate harmoniae praestabilitae? Non utique argumentis ex Scriptura depromptis; ista nempe, opus est ut legantur, vel audiantur; Ergo necessarii sunt sensus; Sed in tali Systemate nihil sensus animae referunt, quia corpus, cui illi insunt operatur independenter ab anima, et eodem modo, si anima non existeret, operaretur. Ergo etc. Tandem tum in Concilio Viennensi, cum in Laeteranensi V. declaratum est, Animam esse formam corporis; Atqui in laudato Systemate, anima non esset forma corporis; nam corpus nec movet, nec vivificat, nec ullam perfectionem ei impertitur; imo nec etiam exigit ut ei uniatur; et ita se habet ac si corpori reapse non uniretur; Ergo etc. Q. E. D.

# PROPOSITIO

*Systema Harmoniae praestabilitae est omnino rejiciendum.*

§. 270. *Demon.* Nam tale Systema nullis firmis fulcitur demonstrationibus (§. 259.); Non explicat,

sed potius destruit commercium animam inter et corpus (§. 261.); Principium rationis sufficientis evertit (§. 253.); tollit humanam libertatem (§. 264.); favet Materialistis (§. 265.); Ad idealismum recta ducit (§. 266.); Christianae Morali plane adversatur (§. 267); inhonestati favet (§. 268.); Atque tandem cum Catholica Fide non satis cohaeret (§. 269.); Ergo etc. Q. E. D.

*Adversariorum argumentis occurritur.*

§. 271. *Objic. I.* Illud Systema ad explicandum animam inter et corpus commercium admitti debet, quod facilius explicat, quomodo duae substantiae oppositae possint invicem conjungi, et operari; Atqui hujusmodi est Systema harmoniae praestabilitae; Ergo etc. Probatur min. Maxima quae reperitur difficultas circa animae commercium, est in explicando quomodo substantia spiritualis, sicuti est anima, operari possit in substantia materiali, et e contra. Atqui si asseritur, ut fit in Systemate harmoniae praestabilitae, animam habere virtutem operandi independenter a corpore, et corpus ab anima, haec difficultas evanescit; ergo etc.

§. 272. R. transeat maj., et dist. min. Sed si asseritur etc., animam habere virtutem etc., et tamen aliis gravissimis implicamur difficultatibus, conc. min.; secus, n. min., et consm. Systema harmoniae praestabilitae, licet maxima cum facilitate, in adversariorum sententia, commercium animam inter corpus videatur explicare, tamen naturali ratione consentaneum minime esse videtur, Deum effecisse duas substantias, spiritualem unam, materialem alteram, quarum quaelibet sit veluti authoma aliquod, et seriem stabilivit tam perceptionum in anima, quam motuum in corpore; quae series interrumpi minime potest; neque pariter facilius hoc Systemate gravissimae difficultates, quae nascuntur extricari possunt; uti sunt quod destruatur principium rationis sufficientis, tollatur humana libertas etc.

( §. 370. ) Ceterum allatam distinctionem gratificandi animo dedimus. Jam enim probavimus ( §. 262. ) hoc Systema ineptum prorsus esse, quod usurpetur ad explicandum Animae cum corpore commercium ; quin etiam destruat potius tale commercium, quam facilius explicet ( §. 261. ).

§. 273. *Contra.* Atqui quaecumque sit difficultas, quae ad explicandum animae cum corpore commercium, in Systemate harmoniae praestabilitae exoriri potest s facile explicari potest ; Ergo. n. r. Prob. min. Sub. Facile explicari potest si attendamus ad Dei Omnipotentiam, per quam, certum est, fieri posse machinam corpoream ita constructam, ut ex se moveatur sine externo agente, sed solum per virtutem mechanismi sibi inditam ; pariter facile explicari potest, quomodo spiritualis substantia ita a Deo facta sit, ut possit independenter a corpore Mundum materialem sibi repraesentare ; Ergo etc.

§. 274. R. dist. ans. Et aliunde potest Wolfius *a priori* demonstrare possibilitatem hujus machinae, n. ans ; non potest, conc. ans, et n. consm. Cum clarissimns Wolfius pro mera hypothesi assumit, posse a Deo fieri machinam, quae vi solius mechanismi illos producat motus, quos in corpore ipso comperimus ; non tamen tanquam certum assumere potest, nisi contradicere sibi velit ; Primo cum dicat ( In Psycol. rat. §. 617. ) » In Systemate harmoniae psaestabilitae supponi » possibile tale corpus, quod vi solius mechanismi om- » nes producat motus ; Secundo ( in eod. ad notat. e- » jusdem ) cum docet » ; possibilitatem hujusmodi corpo- » ris non posse demonstrari a priori ; et aliud adhuc » desideratur, ut ostendatur a posteriori. Quomodo ergo postest certum affirmare suum Systema, si nequidem apud ipsum certa est, atque explorata hujus machinae possibilitas ? Praeterea licet detur, nullo principio externo opus esse, ut corpus suos peragat motus, non tamen sequitur, citra determinationem ullam extrinsecam ab anima pendentem, motus voluntatis in corpore per mechanismum ex aliis motibus in eodem naturaliter praeexistentibus oriri, nisi prius ostenderit clarissimus

auctor, corpus non posse determinari ab anima, nisi vel quatenus physicam qualitatem illi communicet, vel quatenus occasionem Deo praebeat, ut hos motus in ipso corpore producat, quod nullibi ab ipso ostensum est.

§. 275. *Contra.* Atqui licet certa non sit existentia hujus machinae, quae valeat motum praestare, atque producere sine externo principio, non tamen sequitur certum non esse Harmoniae praestabilitae Systema, atque mutuum commercium non explicari per ipsum; Ergo n. r. Prob. subsm. Ex suppositione existentiae hujus machinae, intelligibili modo explicatur, quomodo perceptiones in anima, et motus in corpore eveniant; sed in alio Systemate non explicatur; Ergo etc.

§. 266. R. transeat maj., et dist. min. Sed in alio etc., non clare concipitur, neque manifeste explicatur quomodo ex impressione facta in corpore sequatur perceptio in mente, et ex perceptione mentis, motus in corpore; conc. min. nullo modo explicatur, n. min., et consm. Fateor a nobis non intelligi, neque explicari posse quomodo ex impressionibus factis in corpore enascatur perceptio in anima, et quomodo mens queat ad eos agendos motus corpus determinare, quos ipsa imperat, si neque aliquam qualitatem realem illa corpori communicet; neque volitione sua occasionem praebeat Deo, ut eos efficiat motus. Non autem sequitur, per hoc Systema, et non per aliud explicari posse mutuum commercium animam inter, et corpus. Cum namque assertum in hoc Systemate neque a priori, neque a posteriori demonstrari possit certum (§. 259.), ut ipsemet acerrimus ejus defensor fatetur (§. 275.), dicendum est potius ineptum esse, quod ad tale commercium explicandum assumatur (§. 262.); Adeoque etc.

§. 277. *Objic. II.* inter alia quae afferuntur ad reprobandum Systema Harmoniae praestabilitae, unum ex praecipuis est, quia laeditur humana libertas; Atqui hoc est falsum; Ergo etc. Prob. min. Ideo libertas laederetur, quia motus corporis, qui respondent volitionibus animae sunt necessarii; utpote determinati a structura corporis; At licet isti motus sint determi-

nati, liberae tamen sunt animae volitiones; Ergo etc. Prob. min. Deus dum corpus animae copulavit, per suam praescientiam novit mentem, quae illi copulatur, illos, et non alios motus esse volituram; Ergo etc.

§. 278. R. dist. ans. Illos, et non alios motus esse volituram ex necessitate naturae, conc. ans., ex sua libertate, n. ans., et consm. Licet motus, ad quos Petri corpus, ex. gr., per suam structuram determinatum modo est, sint illi ipsi, quos Deus praescivit illius animam esse volituram, eosque propterea, et non alios mens ipsa modo velit, hoc non tollit, quominus verum sit, eos ita non esse in animae potestate, ut si ipsos nollet, non essent sequuturi. Fieri quippe nequit, ut hi omnes motus a Petri corpore non peragantur, ad quos agendo jam est per structuram suam determinatum; neque ipsius anima potest mechanismum ipsum mutare, eique ita resistere, ut nunc aliquem ex iis motibus, qui virtute solius mechanismi fiunt, valeat impedire. Libertas autem arbitrii in motus sui corporis non inest Petro, si nullus eorum in sua habeatur potestate; ergo licet corpus non sit physice determinatum, nisi ad eos motus, quos mens ipsa sibi juncta modo volitura est, non tamen sequitur, libertatem indifferentiae inesse Petro; cum necessitate naturae debeat illos, et non alios efficere.

§. 279. *Contra*. Atqui licet necessitate naturae motus illi contingant, tamen semper liberi sunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Licet necessitate naturae fiant, tamen per praescientiam Dei ita correspondent volitionibus animae, ac si ipsi liberi forent; Ergo etc. Prob. ans. Praescientia Dei non tollit libertatem antecedentem, quia supponit determinationem voluntatis; Ergo etc.

§. 280. R. dist. ans. Praescientia Dei non tollit libertatem antecedentem, si quae praescivit contingenter evenire poterant, conc. ans., si necessitate naturae, n. ans., et consm. Esto praescientia Divina in se spectata non auferat libertatem antecedentem ab homine, tamen non ita evenit in Systemate Harmoniae praestabilitae, in quo non supponitur corpus ex

se determinari ad motus suos, adeoque tales motus esse indifferentes, sed determinatum dicitur ex sua intrinseca natura, et ex naturali structura sua; unde motus in ipso necessarii sunt, neque voluntatis arbitrio subsunt. Et haec sint satis.

# CAPUT IV.

## *Systema physici influxus discutitur.*

§. 281. *Def.* Systema physici influxus est illud, quo Animae et corporis ad invicem commercium explicatur per quemdam realem, ac verum influxum animae in corpus, et corporis in animam, ut datis quibusdam motionibus in corpore, iisque ad cerebrum perductis, correspondeant perceptiones in anima, et datis quibusdam perceptionibus in anima, motus correspondeant in corpore.

§. 282. *Coroll.* In hoc ergo Systemate ratio sufficiens quorumdam perceptionum animae in motionibus corporis continetur; et vicissim, in volitionibus animae sufficiens ratio quorumdam motuum corporis reperitur.

§. 283. *Schol.* Quamvis influxus physici Systema inter Philosophos vetustissimum, a Peripateticis fere omnibus cum Magistro Aristotele fuerit propagatum, atque Scholasticis recensioribus prae aliis arrideat, in eo tamen exponendo Philosophi diversam incunt viam; unde variae de eo circumferuntur

### *Auctorum sententiae.*

§. 284. Veteres quidam Peripatetici, atque Scholastici existimarunt, *entitatem*, atque *realitatem* quamdam ex anima in corpus transfundi, et ex corpore in

animam ; hoc pacto ut realitas , quae ex corpore transiret in animam , in ea spiritualis evaderet , licet fuerit materialis ; et quae ex anima in corpus tranfunderetur , licet spiritualis , materialis in eo fieret. Atque hi proprie *Influxionistae rigidi* appellati fuerunt. Putant alii , nihil prorsus physicum et reale sive ab anima in corpus , sive a corpore in animam transfundi ; sed utramque substantiam , mutuo , in agendo pendere ; nempe animam vi sua movere corpus , seu ad motus spontaneos ipsum determinare ; corpus vero animae obtemperare , atque actione sua , scilicet objectorum externorum repraesentationibus , ad operandum , sive ad volendum , vel nolendum determinare ; Et hi quidem *mitiores influxionistae* dicuntur , atque permultos , sive ex Veteribus , sive ex Recensioribus habent Sectatores. Non desunt , qui docent cum Georgio Stahlio , solam animam agere in corpus , corpus vero nihil prorsus agere in animam ; et hi certe partim approbant , partim rejiciunt physicum influxum ; nisi dicere velimus , verum commercium animam inter et corpus penitus tollere. Quoad nos , mitiores influxionistas sequi gloriamur , atque pro influxu physico stamus in eo sensu accepto , quo ab ipsis accipitur.

## PROPOSITIO I.

***Systema influxus physici , quale a Peripateticis rigido influxionistis statuitur ad explicandum animae cum corpore commercium pugnantia continet , atque absurda.***

§. 285. *Demon.* Nam *entitas* illa vel *realitas* , quae ex anima in corpus transfunditur est spiritualis , an materialis ? Spiritualis ? non ; etenim in hoc casu eadem staret difficultas , quomodo nempe substantia spiritualis vere , et realiter in materiali substantia agere posset : materialis ? nequidem ; nam repugnat , ut ex

spirituali stbstantia materialis entitas, vel realitas educatur; Spiritus enim et materia contradictorie opponuntur. Insuper *entitas* illa vel *realitas*, quae ex corpore in animam transfundi asserunt Peripatetici, est materialis, an spiritualis? Spiritualis non est; nam ex corpore materiali spiritualem entitatem educi absurdum est, cum nemo dare possit, quod non habet; Sed nec etiam materialis, quia semper aderit eadem difficultas, qua scilicet ratione fiat, ut substantia materialis agat in spirituali; Ergo etc. At dicunt Peripatetici laudati, entitatem illam ab anima in corpus transfusam, in corpore fieri materialem, et entitatem in animam a corpore transfusam, in anima, quae spiritualis est, evadere spiritualem. Pape! O rarum inventum! Corpus ne vim habet, spiritualem entitatem, in materialem commutare! Entitas ne spiritualis in materialem aliquando tranformabitur; et materialis in spiritualem! pugnantia certe sunt haec, atque absurda; Adeoque etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO II.

*Systema influxus physici, quale a* mitioribus influxionistis *statuitur; ad explicandum animae cum corpore commercium, aptius videtur.*

§. 286. *Demon.* Anima vi activa a Deo praedita est (§. 75. Ont.); cogitat enim, ejusque cogitatio est utque actio (§. 17. 100.), nec alio fine juncta est corpori: nisi ut corpus informet (§. 216. R. ad IV.); vivificet, atque regat (§. 93.); Corpus vero, ideo datum est animae ut ab ipsa dependeat, et regatur; sitque ei instrumentum, quo ipsa utatur ut extra se operetur, resque corporeas, et materiales percipiat; ad quid enim a Sapientissimo Opifice tam affabre elaboratum esset, tot organis sensoriis instructum, tam variis, atque mire inter se dispositis partibus compositum? Atqui nec anima posset corpus informare, ipsumque regere, atque

vivificare, nec corpus posset animae obtemperare, eique inservire, si realem influxum, ac veram actionem anima in corpus, et corpus in animam non exerceret; Ergo anima, vi sua, corpus movet, ipsumque ad motus spontaneos determinat, et corpus animae obtemperat, et actione sua ad operandum determinat; Sed, subsumo, hoc per Systema physici influxus explicatur (§. 284.); Ergo etc. Deinde ex ideis quas habemus philosophandum nobis est; Atqui ideae, quas de commercio habemus, tales sunt, ut demonstrent, animam in corpus, et corpus in animam realiter agere (§. 222.), seu influxum physicum, supra expositum, inter se invicem exercere (§. 284.); Ergo etc. Tandem: Anima et corpus sunt duae substantiae, tam stricto foedere inter se copulatae, ut simul unum suppositum, sive personam constituant, nempe hominem, cujus actiones voluntariae nec soli animae, nec soli corpori tribuuntur, sed homini, personae scilicet, quae ex utroque coalescit; unde et dicimus: *Homo loquitur, homo manducat, homo legit*; quapropter corpus et animam, veluti unicum agendi principium concipimus; Atqui hoc concipi nequit nisi statuatur per physicum influxum realis, et vera ab invicem dependentia animam inter, et corpus; Ergo etc. Rursus: Illa vera caussa alicujus effectus dicenda est, qua posita ponitur effectus, qua ablata, vel immutata, immutatur effectus; Atqui positis motionibus in corpore sequuntur perceptiones correspondentes in mente; et positis aliquibus notionibus in mente excitantur motiones correspondentes in corpore; Ergo caussa aliquorum motuum in corpore sunt perceptiones aliquae in mente; et caussa nonnullarum perceptionum in mente sunt quidam motus excitati in corpore; et consequenter, ratio sufficiens motionum corporis, correspondentium perceptionibus animae, in ipsis perceptionibus continetur; et ratio sufficiens quarumdam perceptionum in mente correspondentium motionibus corporis, in ipsis motionibus reperitur. Atqui hoc optime explicatur in Systemate physici influxus; Ergo etc. Tandem, ut alia bene multa, brevitatis caussa hic silentio praetereamus; Manus et pedes (ut quisque cum

Magno Augustino Lib. XIV. de Civit. Dei Cap. 23. a. 2. continuo experitur) « movemus, cum volumus, » ad ea, quae his membris agenda sunt, sine ullo re» nisu, tanta facilitate, quanta et in nobis, et in aliis » videmus; maxime in artificibus quorumcumque ope» rum corporalium, ubi ad exercendam infirmiorem, » tardiorem naturam agilior accessit industria. Neque » (sequitur ib. Cap. 24. n. 1.) ea sola membra mo» vemus ad nutum, quae compactis articulata sunt » ossibus, sicut pedes, et manus, et digitos; verum » etiam illa, quae mollibus remissa sunt nervis, cum » volumus movemus, agitando, et porrigiendo pro» ducimus, et torquendo flectimus, et constringendo » duramus, sicut ea sunt, quae in ore, ac facie, » quantum potest, voluntas movet; » Atqui haec omnia, et alia hujusmodi efficere non possemus si anima in corpus vere, et realiter non ageret, et corpus in animam; imo neque intelligemus an revera ita fiant, ut nobis fieri videntur, nisi ad Systema physici influxus recurramus? Ergo etc. Q. E. D.

§. 287. *Coroll.* In Systemate physici influxus omnia vitantur incommoda, quae in aliis Systematibus occurrunt (§. 231. et seq. 261. et seq.); nempe salva manet libertas humana, veritas commercii ipsius, Fides, et Moralis Christiana etc. In eo namque mutua, et vera dependentia recognoscitur animam inter ac corpus, et vicissim etc.

### *Argumenta opposita solvuntur.*

§. 288. *Objic. I.* Anima est substantia spiritualis, corpus vero est substantia materialis; Sed substantia spiritualis, hoc est anima; nequit movere substantiam materialem, sive corpus, ad motus voluntarios peragendos; Ergo falsa propositio. Prob. min. Corpus nequit moveri nisi per contactum; Atqui anima nostra, utpote spiritualis, non potest tangere corpus; Ergo anima vi sua nequit motus voluntarios in corpore producere.

§. 289. R. dist. maj. Corpus nequit moveri, nisi per contactum aut molis, aut virtutis, c. maj.; semper per contactum molis, n. maj., et dist. min., Atqui Anima etc. per contactum molis, c. min., per contactum virtutis, n. min., et consm. Non solum corpora possunt corpora movere, sed et animae quoque possunt id efficere, differenti tamen contactu. Corpora, quia materialia sunt, corpora movent contactu molis; Animae vero, quia spirituales, corpora movent contactu virtutis, vi nempe a Deo ipsis insita. Neque hoc a nobis gratis asseritur; nam omnibus notum est, substantiam corpoream esse passive indifferentem ad motum aeque, ac quietem; adeoque indigere spirituali substantia, a qua ad motum determinetur. Unde Aristoteles, Divinus Plato, aliique ex motus existentia, incorpoream existere substantiam demonstrarunt: immo Philosophi fere omnes, Dei existentiam contra Atheos ostendunt, ex eo, quia motus nequit esse corporibus essentialis; atque hinc fit, ut corpora ipsa perpetuo quiescerent, nisi fuissent a prima rerum caussa spirituali, atque incorporea ad motum determinata. Non ergo virtualiter movere corpora spirituali substantiae repugnat, sed potius hoc est illi proprium, atque essentiale.

§. 290. *Contra*. Atqui impossibile est, Animam per contactum virtutis agere in corpus; Ergo n. r. Prob. subsm. Si anima in corpus ageret, aliqua vis motrix deberet ex anima in corpus transire; quae in ipsum corpus transmissa mutaretur in aliam vim, cujus esset corpus capax; Atqui hoc est absurdum; Ergo etc.

§. 291. R. n. seq. maj. Ut Anima agat in corpus, et corpus in Animam, necesse non est ut aliqua realitas ex Anima in corpus fluat. Deus enim substantias agit creatas, et tamen nulla realitas in istas transmittitur. Sic ergo agunt substantiae creatae inter se, quin ex iis realitas fluat, ut corpus moveatur et corporis actione fit, ut determinetur anima ad percipiendum.

§. 292. *Contra*. Atqui necesse est ut aliqua realitas ex anima fluat in corpus, ut anima in corpus agere dicatur; Ergo n. r. Prob. subsm. Si haec reali-

tas non admittitur, intelligi nequit quomodo vis motrix, quae est in substantia simplici, ut anima, diffundatur in substantia composita, ut est corpus; Ergo necesse est etc.

§. 293. R. retorquendo argm. Intelligi nequit quomodo vis motrix unius corporis agat in aliud corpus; Atqui non ideo est negandum corpus agere in corpus; Ergo etiamsi intelligi nequeat quomodo vis substantiae spiritualis agat in compositum, non ideo ea actio est repudianda. Et sane. *Numquid*, ait S. Augustinus (Lib. de Dono persev. n. 39.), *ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid inquam propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire?* Deus utique est ens simplicissimum, et adhuc tamen agit in omnes compositas Universi substantias. Quid ergo repugnat, animam, etiamsi simplex sit, agere in compositam substantiam, nempe corpus?

§. 264. *Objic. II.* Anima spiritualis est, atque indivisibilis; nequit ergo moveri. Prob. consa. Si anima moveretur a corpore, foret materialis et extensa; tangi enim, ac tangere solius corporis est; Atqui ex datis, anima spiritualis est; Ergo etc.

§. 295. R. dist. maj. Si anima etc. materialis foret et extensa, si eodem modo anima moveretur a corpore, quo corpus aliud corpus movet, tanseat major, secus, n. maj. et concessa min., n. consm. Non video quae repugnantia esse possit, ut corpus animam ad percipiendum determinet. Anima enim, utpote corporis forma, ipsi corpori praesens est, eaque omnia cognitione attingit, quae ab impressionibus externis in corpore fiunt. Quare si nihil obstat, quod anima moveat corpus ad motus voluntarios per virtutem quandam nobis ignotam; ita nihil obstabit, quominus corpus Animam determinet ad percipiendum; eo vel maxime, quod anima a Deo posita esse videtur in corpore, ut ipso tanquam socio, vel istrumento in humanis actionibus obeundis utatur.

§. 266. *Contra.* Atqui si corpus ageret in animam, anima iis deberet constare attributis, quae corporibus unice conveniunt; Ergo si in anima ageret corpus anima foret corporea. Prob. subsm. Anima deberet corpori resistere, ne ex qualibet corporis actione, maxima sequatur immutatio; Atqui dicere substantiam simplicem compositae resistere, est Animam facere vi resistendi praeditam, quod corpori tantum competit; Ergo si corpus ageret in animam etc.

§. 297. R. dò maj., et dist. min. Atqui dicere etc., eo modo, quo corpora sibi invicem resistunt, n. min., secus vero; transeat min., ergo etc., n. consm. Nullum certe pertimescendum est absurdum, si dicatur animam corpori resistere, cum hanc experiamur resistentiam; nam pro diversis corporis impressionibus, diversae quoque excitantur in anima perceptiones; atque adeo cum experiamur quantitatem dati effectus, proportionati quantitati datae vis, jam vis data merito assumitur pro caussa dati effectus; et quoniam effectus perceptionum in anima semper impressionibus corporeis proportionatur, ideireo inferre jure possumus; ergo corpus animam determinat ad percipiendum. Neque ex hoc inferatur, animam tunc corpoream esse, cum corpori resistat. Enim vero cum non repugnet, unum Angelum alteri Angelo resistere, invicem se se a loco expellendo, ut plurimi sentiunt Theologi, quaenam repugnantia orietur quod anima corpori resistat? Deinde fieri potest ab anima haec resistentia per modum quemdam diversum ab illo, quo corpora sibi invicem resistunt; adeoque ex resistentia animae non debet concludi ipsam corpoream fore.

§. 298. *Contra.* Atqui quocumque modo statuatur animam vere agere in corpus, semper verum erit, animam esse corpoream, quod falsum est; ergo stat argumentum. Prob. subsm. In physico influxu anima a corpore, tanquam a vera caussa, ad agendum determinatur; posita enim impressione, anima determinatur ad perceptionem, impressione ablata, anima indifferens remanet; Ergo etc.

§. 299. R. dist. ans.; determinatur tamquam a vera caussa physica, aliquid reale, et physicum in ipsam transfundente, n.; secus; conc. ans, et n. consm. Impressio facta in cerebro seu phantasma, nihil sive spirituale, sive corporeum in animam transfundit, sed solum illi occasionem praebet; sive motivum ut rem illam percipiat, a qua impressio facta est. Determinatur itaque anima ab impressione corporea, quatenus haec est solum conditio necessario requisita ad ideas efformandas, non vero quatenus haec caussa physica est aliquid physicum et reale in ipsam influens; Anima namque vi activa, qua praedita est, ideas sibi cudit (*a*).

(a) Legantur Genuensis Metaph. Tom. II. Cap. II. Storchenau Psych. P. II. Sect. II. P. Fortunatus a Brixia Metaph. P. II. dissert. II. per tot. P. Tamagna Psych. Cap, II. Odoardus del Giudice Psych. Sect. II.

# SECTIO IV.

## *De facultatibus animae.*

§. 300. Tres vulgo facultates Animae humanae tribui solent ; *Intellectus* nempe , *voluntas* , et *memoria* , ( §. 14. Log. ).

§. 301. *Schol.* Cum anima spiritualis sit naturae ( §. 39. ) ; atque in partes realiter distingui nequeat , sitque unicum principium perceptionum , ac volitionum ( §. 36. ) suarum , hinc nullam distinctionem inter has expositas ipsius facultates agnoscunt plerique. Verum inter se distingui debere , atque esse distinctas , sanior pars Eruditorum tenet. Sed quanam distinctione erunt illae distinctae ! reali ne Thomistarum , an Formali Scotistarum ? Videant illi , quibus otium erit , et voluntas talia perscrutandi. Nos in hac Sectione , quae de illis necessario , ac utiliter scienda sunt , distinctis Capitibus expendemus.

# CAPUT I.

## *De humanae Mentis intellectu.*

§. 302. *Def. Intellectus est ea animae facultas , qua homo percipit , judicat , ratiocinatur , atque reflectit ; nec non cogitata , judicia , ac ratiocinia sua recto , et debito ordine disponit* ( §. 19. Log. ).

§. 303. *Schol.* Intellectus in *inferiorem*, et *superiorem* distinguere solent Philosophi; et intellectum quidem inferiorem dividunt in *vim sentiendi*, et *vim imaginandi*.

§. 304. *Def. 2. Intellectus superior, qui et intellectus purus dicitur, est ea facultas, qua anima res abstractas, atque spirituales cognoscit.* Atque hic intellectus vocatur etiam *ratio*, *vis ratiocinandi*; Vis nempe illa, qua anima objecta percepta inter se comparat, distinguit, connectit, atque unum ex alio colligit.

§. 305. *Def. 3. Intellectus inferior, seu non purus est illa animae facultas, qua objecta sub imagine corporea cognoscit.*

§. 306. *Def. 4. Vis sentiendi est illa animae facultas, qua objecta cognoscit, quae actu sub imagine corpora repraesentantur.*

§. 307. *Def. 5. Vis imaginandi est illa, qua anima iterum producit imagines rerum corporearum alias perceptarum, vel absentium.*

§. 308. *Animad.* Sub vi imaginandi, vis etiam sentiendi aliquo modo continetur, ubique enim imaginum efformatio occurrit.

§. 309. *Schol. 1.* Porro in intellectu duo spectari debent; *finis* nempe, et *objectum*. Finis intellectus est *veritas*; Nam quidquid agit intellectus, eo totum tendit, ut conformitatem cognoscat cognitionis cum re cognita, ut nempe veritatem cognoscat. Atque hic finis vocari etiam solet *objectum* intellectus, at improprie, quia veritas non objicitur intellectui, sed tamen intellectus, vi sua, in objectis cognoscit. Quare objectum intellectus recte, et proprie non est veritas, sed quidquid ipsi cognoscenti objicitur, quodque *idea* vocatur (§. 45. Log.).

§. 310. *Schol. 2.* Jam vero ideas revera in mente humana existere, nemo sui compos negare audebit, cum intimo sensu cuique constet, infinitas propemodum esse ideas, quae in nobis conservantur, quaeque ad nutum mentis excitantur. Tenendum tamen nobis est, ideas in mente nostra non esse similes illis, quae in corpore excitantur, sed aliquid aliud, cujus cognitio pendet a

cogitatione naturae ipsius animae. Nam imagines, quae in corpore excitantur sunt extensae in longum, latum, et profundum; et in iis distinguuntur partibus, quae ad invicem separari possunt. Jam vero horum omnium incapax est ens spirituale, quale est anima; ergo ejus generis imagines in ipsa anima non reperiuntur. Si ergo in mente existunt ideae, proculdubio eae sunt quid distinctum a laudatis imaginibus (§. 73. Cap. I. Log.), At quidnam erit istud *quid* distinctum ab imaginibus corporeis in mente, quod ideam vocamus? Ille solum poterit cognoscere, atque declarare, cui impenetrabilis animae essentia erit comperta. Sed et idearum ipsarum origo adeo in abdito est, ut fere desperaverint Philosophorum non pauci, eam posse determinare. Hinc de idearum origine variae sunt

*Auctorum sententiae.*

§. 331. Platonici Animarum praeexistentiam admittentes in ea etiam opinione fuerunt, Animas in praeexistentiae statu habuisse a Deo impressas omnes rerum ideas, quae postea in corporis unione obliteratae, studio ac labore paulatim denuo excitantur; Quare ipsorum sententia: *modo percipere, nihil aliud est quam reminisci*, aiebat Socrates. Perspiciens Cartesius, non omnium rerum ideas esse omnibus communes, triplex idearum genus distinxit, dixitque ideas alias esse *innatas*, alias *adventitias*, *factitias alias*: Et quidem *innatae ideae* nihil aliud ipsi sunt, quam quae a primo vitae momento nobis praesto sunt, uti ideae *Dei*, *existentiae nostrae*, *veritatis*, *bonitatis*, *unitatis*, et omnes ideae *primorum principiorum*, quae cum neque sensuum ope, neque reflexione habeantur, facile putatur a Deo fuisse animae impressas, adeoque nobis congenitas: *ideae* vero *adventitiae*, quae animae obveniunt, occasione motuum, qui ex rerum externarum appulsu in sensoriis organis corporis excitantur; *Factitiae* tandem, quae ab ipsa mente ex aliarum unione efficiun-

tur. Democritus, atque Epicurus omnem nostram cognitionem adeo a sensibus dependere putarunt, ut *nullam aliam caussam cujuslibet cognitionis nostrae opinentur*, ait S. Augustinus (Epist. 118.), *nisi cum ab his corporibus, quae cogitamus, veniunt, atque intrant imagines in animas nostras.* His adherent Peripatetici, quibus persuasum est; *nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Leibnitius et Wolfius, cum pro explicando animae cum corpore commercio, animam et corpus duo authomata fecissent, omni activa vi destituta (§. 254.), consequenter docent, animam cudendi sibi ideas rerum vim non habere. Nicolaus Malebranchius, cum examini subjecisset varia media, quibus anima possit sibi ideas comparare, eaque sibi absurda visa fuissent, dixit (Lib. III. Recher. de la ver.), Animas hominum esse Deo essentialiter unitas, in quo Mundus intelligibilis continetur, et consequenter omnes rerum ideae; Quare in Deo, animam omnes ideas videre affirmat. Tandem alii asserunt, intellectum humanum, tanquam *tabulam rasam* esse a Deo conditum, ideas propterea sibi vi propria adquirere, vel *sensatione*, vel *reflexione*. Quid autem in tanta opinionum varietate sentimus, ex dicendis mox patebit.

## PROPOSITIO I.

***Nulla rerum sensibilium idea est innata.***

§. 812. *Demon.* Nam experientia, intimoque sensu perspicue constat, rerum sensibilium ideas ope sensuum in dies ab intellectu adquiri; Ergo etc. Deinde si rerum sensibilium ideae essent innatae, sensus neque adjuvare, neque impedire possent rerum sensibilium ideas; Atqui quotidie constantissime observamus, sensus modo adjuvare, modo impedire rerum sensibilium ideas; Ergo etc. Prob. min. Dum sensus recte valent, intellectus vel novas rerum sensibilium ideas adquirit, aut

quas habet, clariores perfectioresque reddit; contra si sensus vitio laborant, admodum paucas, vel obscuras rerum sensibilium ideas adquirit; imo si sensus aliquis plane deficit, deficiunt omnino in cerebro omnes ideae, quae illo mediante adquiri solent; Erga etc. Q. E. D. (a).

## PROPOSITIO II.

*Idea Dei humano intellectui ingenita non est.*

§. 313. *Demon.* Idea Dei est idea entis necessarii; Atqui nulla hujusmodi idea est humano intellectui ingenita; Ergo etc. Prob. min. Deum existere nonnisi a posteriori potest intelligi; atque ex contemplatione contigentium entis necessarii ideam adquirimus; quia etsi ens necessarium a nobis non videatur, videntes contingentia, quae nequeunt a se existere, ab ipsis per reflexionem assurgimus ad Ens necessarium, in quo illae propriae existentiae rationem habent sufficientem, atque de eo ideam nobis comparamus; Ergo etc. Praeterea: Si idea Dei esset ingenita, vel ipsimet pueruli talem ideam haberent, nec tot atque tam monstruosae ideae de Divinitate observarentur; Sed hujusmodi ideam pueruli non habent, et nimis mostruosae a non paucis efformatae fuerunt ideae Divinitatis; Ergo etc.

(a) Confer §. 312, et seq. Log.

# PROPOSITIO III.

*Rerum abstractarum, et universalium ideae non sunt innatae.*

§. 314. *Demon.* Nam I. ideae rerum abstractarum fundantur in ideis rerum sensibilium; Ergo etc. Prob. ans. Rerum abstractarum imagines, quantumvis conetur mens, nequit efformare, nisi ea ex aliqua re sensibili hauriat. Sic ideam turpitudinis efformare nequit, nisi rem deformem considerando; nec ideam pulchritudinis, nisi pulchram, nec ideam motus, nisi ad rem convertatur, quae movetur; nec ideam longitudinis, nisi ad rem sensibilem. Hoc adeo verum est, ut mens quando ideam rei abstractae efformare nititur, nulli ideae sensibili inhaerendo, deperditur, ac tenebris veluti obducitur, ut unusquique in seipso experiri potest; Ideae ergo rerum abstractarum oriuntur ab ideis rerum sensibilium in iisque fundantur.

II. Ideae rerum universalium originem habent ab ideis rerum sensibilium, immo sunt ipsaemet ideae sensibiles. Nam anima, non alia ratione efformat ideam universalem, nisi extendendo unam ideam singularem, ac sensibilem ad ea omnia; quibus illa singularis idea convenire potest: Sic ideam hominis extendit ad omnes homines; ideam bruti ad omnia bruta, et ita deinceps. At haec ideae universalium sunt res abstractae: sed ideae abstractae oriuntur, ac suum fundamentum habent in ideis rerum sensibilium; ergo et ideae rerum universalium; adeoque etc. Q. E. D.

*Audiuntur Adversarii, et confutantur.*

§. 315. *Objic.* contra I. Prop. Anima humana a Deo creata est perfecta; Atqui rerum sensibilium

ideae sunt perfectiones animae, Ergo anima cum ipsis a Deo creata est; adeoque etc.

§. 316. R. dist. maj. Essentialiter, conc., accidentaliter, n. maj., et dist. min.; accidentales, conc.; essentiales, n. min., et consm. Quidquid ad animae essentiam spectat, creavit Deus, cum ipsam animam creavit; non creavit autem, neque creare debuit id quod animae accidentale tantum erat, quia anima perfecta esse potuit, ac revera fuit, quin accidentales perfectiones, quas adquirere poterat, haberet. Jam vero ideae rerum sensibilium sunt accidentales animae perfectiones, quia etsi ab anima removeantur, ejus tamen natura non laeditur, et anima ad has perfectiones, nempe ideas adquirendas vim habet. Licet ergo anima a Deo creata sit perfecta, non idcirco tamen cum ideis rerum sensibilium a Deo creata est.

§. 317. *Contra.* Atqui anima creata fuit etiam cum perfectionibus accidentalibus; ideis nempe rerum sensibilium; Ergo n. r. Prob. subsm. Omnis potentia creatur cum principio suarum operationum; Atqui ideae rerum sensibilium sunt principium operationum animae; Ergo etc.

§. 318. R. dist. maj. Omnis potentia etc., idest cum vi operandi, conc., cum materia, circa quam vis illa occupari debet, n. maj., et dist. min., sunt vis operandi, nego; sunt illius virtutis materia, conc. min., et n. consm. Omnis potentia creatur cum vi operandi; quia hujusmodi vim potentiae adquirere non possunt; non creatur autem cum materia, circa quam vis illa occupari debet; praesertim vero cum materia hujusmodi talis sit, ut a potentia adquiri possit. Jam vero materia, nempe ideae, quae sunt necessariae, ut anima principium operandi exerceat, possunt ab anima adquiri, et de facto adquiruntur, ut experientia, intimoque sensu constat (§. 512.); Ergo anima cum ideis rerum sensibilium creata non est; Nam secus etiam oculi, qui creati sunt cum videndi potentia, creari debuissent cum omnibus illis imaginibus, quas successu temporis videre debebant.

§. 318. *Contra.* Atqui potentia, scilicet Anima creatur cum materia, circa quam ipsius vis occupari debet; Ergo n. r. Prob. subsm. Anima non est inferioris conditionis plantarum; Sed plantae creantur cum seminibus in quibus continentur aliae plantae, et ex quibus producuntur, ergo et anima creari debuit cum ideis, quae rerum externarum imagines continent.

§. 319. R. conc. maj., omitt. min., et dist. cons. Si anima rerum sensibilium ideas adquirere non possit, conc., si possit, n. consm. An plantae conneant in se, nec ne semina aliarum plantarum producendarum, hoc in loco determinare nostrum non est, cum id ad Physicos spectet. Tantummodo dicimus, quod si plantae cum seminibus ad alias plantas efformandas necessariis producuntur, ideo fit hoc, quia plantae ad hujusmodi semina producenda vim omnium non habent. Inutiliter enim plantae cum aliarum plantarum seminibus producerentur, si hujusmodi vi praeditae essent. Hoc autem posito, nobis allatam paritatem non officere manifestum est. Etenim in hypothesi quod plantae vim habeant semina producendi, eae cum aliarum plantarum seminibus non producuntur; Atqui anima ex sensuum repraesentationibus vim habet producendi ideas, ergo non creatur cum ideis rerum sensibilium.

§. 320. *Objic.* contra II. Prop. Idea Dei est idea entis necessarii; Atqui hujusmodi idea, animae in ejus creatione indita fuit; Ergo etc. Prob. min. Id in anima in ejus creatione inditum fuit, quod in tota humana natura observatur; Atqui Dei idea, et cognitio in tota humana natura observatur; est enim omnibus communis; Ergo etc.

§. 321. R. dist. maj. Si aliam caussam habere non possit, conc., secus n. maj., omitto min., et n. consm. Omittimus in primis minorem, quia non constat, an omnes homines habeant, vel non Dei cognitionem, et ideam. Et quidem si vellemus adhaerere testimonio viatorum illorum, qui plures Orbis partes peragrarunt, vel haec quaestio de communi Dei notitia resoluta foret, vel argumentum oppositum non officeret, Sane, isti adinvenisse testantur populos integros, qui

nullam Dei notitiam habebant : nam nec idola colebant, nec Templa, nec vocabula Divinitatem aliquam exprimentia apud ipsos erant. Verumtamen, hoc non obstante, communem Dei notitiam dubiam relinquimus. Hoc unum tantum dicimus, quod etsi concedatur, Dei cognitionem omnibus esse communem, non idcirco certum foret, eam esse innatam ; quia caussa cum sit communis, non est quia in omnibus impressa est, bene vero, quia omnibus praesentes sunt eaedem occasiones, ex quibus Dei cognitionem homines haurire valeant. Omnibus enim Mundus creatus est manifestus, ex qua evidentia faciliter possunt omnes Creatorem intelligere. Hinc etiam idea Solis omnibus est communis ; sed non idcirco innata, quia oritur ex eo, quod Sol omnibus manifestatur.

§. *322. Contra.* Atqui Dei cognitio aliam caussam praeter Deum, qui illam in anima impressit, habere non potest ; Ergo n. r. Prob. subsm. Quaecumque sit Dei cognitio, semper est cognitio entis necessarii, et perfectissimi ; Atqui talis cognito nequit habere aliam caussam praeter Deum ; Ergo etc.

§. 323. R. dist. maj. In se, n., in suis caussis, seu actionibus, conc. maj., et n. min. cum consa. Dei, entis nempe perfectissimi cognitio fundatur in rationibus, quibus constat existere ens hujusmodi ; Unde adquiritur ope ratiocinationis recte institutae ex rerum hujus Mundi contingentia. Cum namque evidenter constet, entia hunc Mundum componentia, esse contingentia, quae proinde in ente alio, quod non sit contingens, rationem sufficientem propriae existentiae habent, hinc mens, licet nullam habeat de ente necessario notitiam, illam tamen ex contingentium consideratione adquirit.

§. 324. *Contra.* Atqui cognitio entis perfectissimi nequit omnino aliam caussam egnoscere praeter ipsum Deum ; Ergo a cap. argm. Regula illa, ex qua anima suam imperfectionem colligit, ex cognitione entis perfectissimi originem habet, nequit enim id colligere ex sensibus, rebusque corporeis, quia et sensus, et corpora sunt animae imperfectiora ; Ergo etc.

§. 325. R. neg. totum argumentum. Quod in adducto argumento assumitur tanquam verum, falsissimum est Ex quo enim anima suam cognoscat imperfectionem ex perfectione entis supremi, deducunt, ipsam debere perfectam Dei cognitionem habere, quod ridiculum est, atque absurdum. Etsi enim anima non cogitet de ente perfectissimo, attamen se imperfectam agnoscit. Agnoscit namque se habere intellectum limitatum, quia non potest omnia comprehendere; imperfectamque voluntatem, quia ad ejus nutum omnia non sequuntur. Regula igitur imperfectionis animae non est ens perfectissimum; neque ejusdem animae imperfectionis sunt corpora et sensus, sed tantum est deficientia eorum, quae in se non habere anima ipsa cognoscit.

## PROPOSITIO IV.

*Malebranchii Systema de idearum origine absurdum est.*

§. 326. *Demon.* Si omnes ideas in Deo nos videremus, omnia nobis certa essent, vera, atque immutabilia; nam tales sunt, nec aliter esse possunt in Deo ideae omnes; nihil ergo esset nobis incertum, nihil falsum in ideis nostris; Atqui si valde paucas excipiamus, multissimae sunt ideae, quae mutationi obnoxiae sunt, imo falsae, chimericae, et ridiculae; Ergo etc. deinde, si ideas omnes in Deo videmus, videmus profecto et Deum ipsum, neque enim cognosci, et videri potest aliquid in subjecto aliquo, nisi et subjectum visum, in quod illud est, videatur; Ergo omnes Dei visione frueremur, et consequenter in hac vita beati sumus; Atqui hoc est falsum, et absurdum; Ergo etc. Ulterius, si verum esset Malebranchii Systema, omnes eadem facilitate, eadem objecta perciperent; nulli propterea imperiti esse deberent; nulli amentes, nulli febre phrenetici; Atqui oppositum observatur; Ergo etc.

Tandem ( ne in perridiculo isto Systemate confutando plus aequo immoremur ): Deus taliter nos anima, et corpore efformavit, ut ideas nobis adquirere possemus; neque aliter nos ipsi experimur; nempe ideas a nobis adquiri, non autem videre in Deo; *sentit* enim *animus*, se *vi sua*, *non aliena moveri*; Si ergo ideas in Deo videremus, cum interim eas adquirere commertissimum sit nobis, procul dubio Deus nos deciperet; quippe talis naturae nos constituisset, ut videretur nobis ideas adquirere, quando eas nonnisi in ipso videmus; Atqui absurdissimum est hoc asserere; Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO V.

*Anima humana, ui propria, ideas sibi cudit.*

§. 327. *Demon.* Nam nullae ideae sive rerum sensibilium ( §. 312. ); sive Dei, aliarumque rerum spiritualium ( §. 313. ), sive universalium, et abstractarum ( §. 314. ) sunt innatae; nec anima omnes suas ideas videt in Deo ( §. 326. ); Ergo Anima etc. Q. E. D.

§. 328. *Schol.* Quae adversus hanc thesim opponit Malebranchius jam soluta sunt, ubi confutavimus ejus Systema; caussarum nempe occasionalium §. 239. et seq. Quae vero pro Platonicis reponi possunt, nullius sunt roboris, quippe nulli fundamento solido indixa, ut vidimus §. 161. et seq. (a)

---

(a) De origine idearum, et num dentur ideae innatae inter Recensiores Philosophos legi poterunt Ant. Genuensis Metaph. T. II. Cap. III. P. Tamagna Psych. Sect. I. Cap. III. P. Fortunatus a Brixia Psych. Sect. III. Odoardus del Giudice Psych. Sect. III.

# CAPUT II.

## *De voluntate humana, ejusque objecto*

§. 329. *Def. 1. Voluntas est ea animae humanae facultas, vel potentia, qua proposita ab intellectu objecta, vel ut bona amplectimur, vel ut mala respuimus* ( Log. §. 20. ). Hujus facultatis actus sunt *volitiones*, et *nolitiones*. Itaque.

§. 330. Homo voluntate praeditus, est; facultate namque gaudet se determinandi ad amplectendum bonum, atque respuendum malum.

§. 331 *Def. 2. Bonum dicitur hic, quod humanae naturae consentaneum est, eamque perficit. Malum contra est. quod naturae humanae est disconveniens, eamque reddit deteriorem.* Ita *scientia*, Ex gr., dicitur bona, quia humanae naturae convenit, atque eam perficit; *ignorantia* vero, malum.

§. 332. *Schol.* Bonum multiplex est. 1. *absolutum* nempe, et *relativum*; 2. *summum*, vel *per essentiam*, et *per participationem*; 3. *Verum*, et *apparens*; 4. tandem *honestum*, *jucundum*, et *utile*.

§. 333. *Def. 3. Bonum absolutum est illud quod in se, et semper tale est; Relativum vero, quod licet in se tale nsn sit, relate tamen ad personas, ad tempora, circumstantias etc. bonum est.*

§. 334. *Bonum summum, et per essentiam est illud, quod in saamet essentia suarum realitatum rationem continet sufficientem; Bonum vero per participationem, quod talem rationem sufficientem in alio continet;* ( vid. §. 321. etc. Ont. ).

§. 335. *Def. 5. Bonum verum est illud, quod revera, et in se est bonum; Apparens vero, quod licet bonum videatur, in se tamen revera tale non est.*

§. 336. *Def. 6. Bonum honestum, seu morale est id quod rectae rationi, morumque regulis*

*consentaneum est, uti* virtus. *Delectabile*, sive *jucundum est illud, quod voluptatem affert, ut homini sano* cibus delicatus; *Utile tandem, quod commodum affert, ut* divitiarum possessio.

§. 337. *Schol.* Expositis bonis speciebus, totidem correspondent species mali; nempe *malum absolutum, et relativum; per essentiam, et per participationem*; *Verum*, et *apparens*; tandem *inhonestum, seu turpe*, vel *morale*; *incommodum*, et *inutile*, quorum definitiones, aut descriptiones obviae sunt.

§. 338. *Coroll.* Bonum relativum, potest alicui esse malum, dum alteri est bonum; et eidem personae, mutatis circumstantiis, modo esse bonum, modo esse malum.

§. 339. *Def. 7. Objectum voluntatis dicitur id quod ipsa respicit, et in quod fertur, aut aversatur.* Hinc

§. 340. *Coroll.* Bonum, et malum in genere sunt nostrae voluntatis objectum. Bonum namque actu volitionis complectimur; malum actu nolitionis respuimus. At erit ne voluntas adeo in bonum propensa, et malo adversa, ut nunquam bonum respuat sub ratione boni, et malum amplecetur sub ratione mali? Duae sunt.

*Eruditorum sententiae.*

§. 341. Gulielmus Occamus, Angestus, Almainus, et non pauci inter Nominales existimarunt, voluntatem humanam posse appetere et velle malum sub ratione mali; hoc est cognitum ut malum; et contra aversari bonum sub ratione boni, quatenus nempe bonum est. Hos sequuti sunt Kingius, et Hookius. In hanc sententiam protendere visus fuit Doctor Subtilis; sed contrarium aperte docuisse patet, ex eo, quod scripsit (in IV. Dist. 9. p. 10. n. 8.), dicens: *A vo-*

*luntate excluditur actus volitionis respectu miseriae. et actus nolitionis respectu beatitudinis, quia miseria non est nata esse objectum actus volitionis, nec beatitudo actus nolitionis.* Eandem contrariam sententiam tenent omnes alii Philosophi cum S. Thoma, cum quibus et nos.

## PROPOSITIO

*Voluntas humana velle nequit, et amplecti malum sub ratione mali; neque nolle, atque aversari bonum sub ratione boni.*

§. 342. *Demon.* Nam humana mens natura sua, atque innato pondere fertur in id, quod ipsi consentaneum est, ipsamque perficit; atque omne id aversatur, et fugit, quod ei damnum affert, atque imperfectionem; ita ut nequeat oppositum facere, quin contra propriam naturam, atque inclinationem agat. Atqui bonum est animae consentaneum, eamque perficit, malum contra disconveniens, et nocivum (§. 381.); Ergo anima nequit velle, et amplecti malum etc. Deinde adeo vehementem quisque hominum in se experitur felicitatis appetitum, ut nemo invenire est, qui in suis volitionibus, et nolitionibus suum bonum, et beatitudinem non intendat, atque id omne aversetur, quod sibi noxium esse perspiciet; Sed hic appetitus, cum sit a natura, non fallit; Ergo etc. Tandem continua experientia edocemur, quod licet quandoque malum cognitum ut malum velle et amplecti videamur; revera tamen tale non est; amplectimur enim malum illud, non praecise quia malum, sed, quia vel a sensibus decepti, vel passionibus praeoccupati pro hic, et tunc veluti bonum nobis illud repraesentamus. Atque hinc est, ut licet sciant Christiani furtum esse malum, diligere inimicos esse bonum; tamen furtum committunt, quia in rebus alienis possidendis bonum apprehendunt, praesentis scilicet vitae commodum, et miseriae levamen;

inimicos odio habent, quia in inimicorum odio proprii appetitus satisfactionem inveniunt, quod ipsis pro hic, et nunc bonum est; et sic de aliis; Ergo etc.

§. 343. *Coroll. 1.* Bonum itaque, et malum sunt nostrae voluntatis motiva, quibus ipsa ad volendum, vel nolendum excitatur. Scistitanti enim alicui, cur hoc respuimus, illud vero volumus, aliud certe non respondemus, quam illud nobis videri bonum, hoc vero malum.

§. 344. *Coroll.* 2. Humana voluntas, sine motivis, nihil vult, aut aversatur. Nam sine objecto voluntas nihil potest velle, aut aversari; jam vero voluntatis objectum est bonum, et malum; et haec ipsa sunt ejusdem voluntatis motiva (§. 343.); Ergo etc.

# CAPUT III.

## *De humanae voluntatis libertate.*

§. 345. *Def. 1. Libertas est facultas agendi vel non agendi; agendi hoc potius, quam aliud.* Libertati opponitur *Necessitas*; *id nempe per quod agens, positis omnibus ad agendum requisitis, nequit non agere.*

§. 346. *Schol.* Necessitas ratione *determinationis*, quam habet, qui agit, duplex est, *interna*, nempe, et *externa*; insuper ratione *oppositionis* terminorum, alia dicitur *contrarietatis*, vel specificationis, alia *contradictionis*, seu *exercitii*.

§. 347. *Def. 2. Necessitas interna, est quando agens, natura sua ad aliquid agendum determinatur; externa vero, quando agens ab externa caussa ad agendum necessario determinatur.* Sic ignis necessitate intrinseca stuppam comburit; necessitate vero extrinseca est lapidis projecti in altum ascensus. Actio, quae fit necessitate interna dicitur *naturalis*; *coacta* vero, siva

*violenta*, quae necessitate externa exequitur. Atque hinc enatae *necessitas coactionis*, *coactio*, *violentia*.

§. 348. *Def. 3.* Necessitas contrarietatis seu specificationis est, quando agens ita determinatur ad unum contrariorum, ut oppositum non possit efficere. Ita ignis ad calorem producendum ita est determinatus, ut frigus producere nequeat. Necessitas vero contradictionis seu exercitii habetur, quando agens ita ad agendum determinatur, ut positis ad agendum requisitis, nequeat non agere: sic appositus ignis aridis lignis, vel stuppae, necessario flamma et combustio exoritur.

§. 349. *Schol.* Sicut variae sunt necessitatis species, sic quoque veriae sunt species libertatis. Alia namque dicitur libertas a *necessitate*, a *coactione alia*; et illa insuper, alia dicitur *contradictionis*, seu *exercitii*, alia *contrarietatis*, seu *specificationis*.

§. 350. *Def. 4.* Libertas a necessitate est illa, per quam agens a nulla necessitate sive interna, sive externa, ad agendum adigitur, haec vocatur etiam libertas *indifferentiae*: Itaque.

§. 351. *Coroll.* Ad hanc libertatem duo necessario requiruntur. I. Quod agens vi activa, sibi propria praeditus sit ad agendum, vel non agendum; ad producendum hunc potius effectum, quam alium, seque determinandi ad oppositum sive diversum, ex boni, malive ratione; II. Quod agens sit a necessitate tum interna, cum externa prorsus immune.

§. 352. *Def. 4.* Libertas contradictionis, seu exercitii, est illa, per quam agens positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, et non agere; adeoque tam actio, quam ejus negatio, aeque est in agentis potestate. Hac libertate Deus hunc Mundum creavit. In ejus enim potestate erat illum condere, vel non condere.

§. 353. *Def. 5.* Libertas contrarietatis, seu specificationis est illa, per quam agens potest producere actus contrarios, ad neutrum per suam naturam determinatum. Hac libertate potest quis ambulare, vel sedere.

§. 354. *Def. 6.* Libertas a coactione in eo consistit, quod agens omnem vim externam contra voluntatis propensionem illatam removet; qua libertate voluntas bonum generatim amat, et malum generatim odit, et Beati in Coelo amant Deum. Itaque

§. *355. Coroll.* Libertas a coactione stare potest cum necessitate naturae. Hinc lapis ex. gr. sibi relictus, necessitate naturae fertur ad centrum.

§. *356. Schol.* Alia quae hic de libertate, necessitate, atque voluntatis actibus addi solent, omittenda putamus, ne delicatulis taedio simus: ut autem dicta rite se habeant, erit ne ideo verum, quod vulgo creditur: humanam nempe voluntatem libertate indifferentiae praeditam esse? Varia circa hoc sunt.

## *Philosophorum placita.*

§. 357. Voluntati humanae libertatem negarunt quotquot ei vim activam abstulerunt; Idipsum fecerunt Materialistae, cum certum sit, enti materiali, atque hinc inerti, libertatem proprie dictam competere non posse. Manichaei, Priscillianistae, et alii ex Stoicis, sectatores Zoroastri; insuper Lutherus, Calvinus, Jansenistae, atque omnes illi qui fatum sive Democriticum, sive Spinozisticum, sive Mahumedanum, sive astronomicum admiserunt, vulgo dicti *Fatalistae*, libertatem homini ademerunt; quos inter, ex Recensioribus, ceteris palmam praeripiunt Hobbesius, Collins, Helvetius, Petrus Bayle, Benedictus Spinoza, Tolandus, Poiretus, Auctor *Systematis naturae*, Diderot, D. de Voltaire, quos veluti magistros sequitur misera Libertinorum turba. Verum cordati omnes Philosophi, tam ex Veteribus, quam ex recensioribus pro humana stant libertate, omnesque libertatis osores, ut mente captos, et hominum nomine indignos, et Societati infensos habent.

# THEOREMA I.

*Humana voluntas ab interna necessitate omnino est libera.*

§. 358. *Demon.* Nam intimo sensu constanter perspexi, atque perspicio, me in volitionibus, atque nolitionibus meis, nunquam fuisse ab aliqua interna necessitate adactum, et modo adigi, atque positis omnibus ad agendum requisitis, in mea fuisse libertate agere, et non agere, facere hoc, vel aliud. A meipso semper, et vi mihi indita, quod in mea erat potestate, libere egi, et nunc ago. Volui scribere, scripsi, volui deambulare, calamum abjecti, de tabula surrexi, et ad ambulandum me dedi. Itaque ( verba hic usurpo clarissimi Fenelon, Demon. Exist. Dei P. 1. n. 69. ): » Liber » ego sunt, nec de mea libertate dubitare possum. In» time ineluctabiliter convicor me velle, et nolle posse: » et non solum inter hoc ipsum velle, et nolle posse » eligere, sed etiam inter ipsas volitiones pro objecto» rum, quae mihi obvia fiunt, varietate ..... Sentio » me esse liberum ad ambulandum, dum ad ambulan» dum insurgo. Tam vivide, tam certe id sentio, ut » de hoc nequeam serio addubitare: memetipsum infi» ciarer si oppositum auderem adserere »; neque hoc solum in me expertus sum, atque experior, sed in omnibus quoque hominibus caeteris; unde concludere fas est, humanam voluntatem etc. Nec aliter esse potest, nam si voluntas in suis actibus a necessitate interna libera non esset, volens simul, et nolens dici deberet, quod repugnat, volens quidem, ut supponitur; nolens vero, quia volitio coacta *nolitio* est, utpote quia est contra voluntatis ipsius volitionem; Ergo etc. Q. E. D.

# THEOREMA II.

*Humana voluntas in actibus suis libera est a necessitate externa.*

§. 359. *Demon.* Nam quaecumque vis opponi potest alicui, nunquam efficiet, ut illius voluntas velit quod jam non vult, et nolit, quod jam vult; id enim experientia, intimoque sensu etiam patet. Fac quis trahatur ad supplicium, vel ad carceres: tota certe trahentium vis, atque coactio numquam obtinebunt, ut ille velit supplicium, carceres, aut id quod exigitur, ne ad supplicium, vel carceres trahatur. Exempla satis obvia sunt, non solum in tot SS. Martyribus, qui vincula, carceres, flagella, et alia permulta exquisita tormenta passi fuerunt, quin eorum voluntas consentiret incredulorum suasionibns; sed et quotidie observantur; Ergo etc. Et re quidem vera voluntas humana velle nequit, atque amplecti aliquid, quod sibi videtur malum, sub ratione mali (§. 342.); a nulla ergo externa caussa cogi potest in actibus snis. Ulterius Voluntas fertur in bonum innato pondere, ejus itaque actus est inclinatio in bonum, seu boni volitio: Atqui si voluntas cogi posset; cum haec coactio esset contra voluntatis inclinationem, inclinatio desineret; Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO

*Voluntas humana libertate gaudet indifferentiae.*

§. 360. *Demon.* Nam anima humana vim habet activam a Deo sibi inditam qua potest agere (§. 29. Ont); libera est a necessitate tum interna (§. 358.), cum externa in actibus suis (§. 359.); Ergo etc. Q. E. D.

*Adversariorum argumenta solvuntur.*

§. 361. *Objic. 1.* Libertas indifferentiae est potentia agendi, et non agendi; Atqui anima humana circa bona, et mala finita potentiam non habet agendi, et non agendi; Ergo falsa propositio. Prob. min. Quod ab alio ad agendum determinatur, non habet potentiam agendi, et non agendi; Atqui anima ab alio ad agendum determinatur; Ergo etc. Prob. min. Anima est indifferens ad agendum vel non agendum; ergo ut agat, vel non agat, ab alio determinari debet.

§. 362. R. dist. ans. Anima etc. est indifferens active, conc. passive, n. ans., et dist. cons., nisi vim haberet se se determinandi, conc., secus, n. consm. Duplex est indifferentia, *activa* nempe, et *passiva*. Indifferentia passiva illud agens praeditum est, quod habet quidem potentiam ad agendum; attamen, ut agat indiget determinatione alienjus caussae; hujusmodi est indifferentia, quam habent lapides; isti namque ni impulsum recipiant, non moventur. Indifferentiam vero activam illud agens habet, quod nedum potentia ad agendum gaudet, sed etiam virtutem habet actionem pro lubitu ponere, vel non ponere, absque caussa extrinsecus, vel intrinsecus impellente. Passiva indifferentia libertatem tollit, activa vero constituit. Jam vero ani-

mae non passiva, sed activa indifferentia competit. Ipsa enim circa bonum et malum finitum nulla necessitate sive intrinseca, sive extrinseca urgetur.

§. 363. *Contra*. Atqui anima est indifferens passive ad agendum, vel non agendum; ergo n. r. Prob. subsm. Ex concessis, quod ab alio ad agendum determinatur, est indifferens passive ad operandum; Atqui anima ad agendum determinatur; Ergo etc. Prob. min. Quod a bono vel malo repraesentatis ad agendum determinatur; ab alio determinatur; Atqui anima a bono, et malo repraesentatis determinatur; Ergo etc.

§. 364. R. dist. maj. Ab alio determinatur tamquam a motivo, et objecto, circa quod actio versatur; conc., tamquam a re cogente, vel ejusdem animae vim efficiente, n. maj., et dist. min., tamquam a motivis etc., conc., secus, n. min., et consm. Ut indifferentia sit passiva, et necessaria; adeoque non libera, oportet, quod agens ita determinetur ab alio, ut vel necessitatem agendi a re determinata accipiat, quemadmodum brutis evenit, quibus objecta repraesentata agendi necessitatem inferunt; vel ut agentis ipsius vim activam efficiat res determinans, sicut accidit lapidibus; quorum vim activam ad motum efficit caussa movens. Quando vero res determinans nullam infert agendi necessitatem, nec agentis vim activam efficit, tunc agentis indifferentia non est passiva, et necessaria, sed prorsus libera. Atque anima determinatur quidem ad agendum a bono vel malo repraesentatis, sed ita tamen, ut nec ejus vim activam efficiant, nec ei necessitatem agendi inferant: quandoquidem bona, et mala repraesentata, utpote finita, talia sunt, ut in bonis aliqua ignota ratio mali detegatur, ut in malis ratio boni, atque ita evadere potest objectum aversionis, quod prius erat objectum prosequutionis, et e contra; idque potest praestare ipsa anima, affigendo nimirum bonis aliquam mali rationem; sicuti aliquam boni speciem malis repraesentatis. Non alia igitur ratione dici potest animam determinari a bono, vel malo repraesentatis, nisi quatenus ea sunt objecta necessaria ad hoc, ut anima agat.

§. 365. *Contra.* Atqui Anima est indifferens, ut a bono vel malo passive determinetur ad agendum, vel non agendum; Ergo n. r. Prob. subsm. Bonum vel malum sunt ratio sufficiens cur anima agat, vel non agat; Sed posita ratione sufficiente necessario poni debet id, cujus est ratio sufficiens; Ergo etc.

§. 366. R. dist. maj. sunt ratio sufficiens cur anima necessario agat, vel non agat, n., libere, conc. maj.; et dist. min., si sermo sit de agentibus naturalibus, conc., liberis, n. min., et consm. Rationis sufficientis nomine hic nihil aliud intelligitur, nisi id quod requiritur, et sufficit, ut caussa agat; quae ratio sufficiens considerari potest vel respectu agentium naturalium, vel agentium liberorum. Si primo modo consideretur, utique hac posita, necessario ponitur id, cujus ipsa est ratio sufficiens, actio nempe caussae; sic positis lignis siccis igni accenso propinquis, ipsa combustio necessario, necessitate tamen physica ponitur. Si vero referatur ratio sufficiens ad caussas liberas, quae consistat in bono, et malo repraesentato, tunc solum ponitur necessario id, cujus est ratio sufficiens, cum bona et mala repraesentata sunt infinitae intensionis, cum nempe bona implent mentis appetitum, nec in iis ulla mali ratio detegi potest, ut evenit Deum possidentibus. Atqui vero quando bona, et mala repraesentata sunt finita, cum aliqua boni ratio malis, et aliqua ratio mali bonis affigi possit, voluntas haud necessario, et fatali quodam impulsu in ea irruit, ut nequeat aliter, ac urgetur operari. Licet ergo bona et mala repraesentata, quae finitam habent intensionem sint ratio sufficiens determinationis voluntatis, haud tamen verum est, eadem bona, et mala animam necessario ad agendum determinare.

§. 367. *Objic. II.* Si homo libertate indifferentiae praeditus esset, hanc perfecte exerceret vel dum; operatur, vel antequam in actum prorumpat; Atqui; neutro in statu habet potestatem indifferenter operandi. Ergo falsa propositio. Prob. min. Homo non est liber antequam agat, quia ut sic, non potest agere: neque est liber dum agit, quia tunc necessario agit;

quidquid enim est quamdiu est, necessario est; Ergo homo nec antequam agat, neque cum agit liber est; adeoque caret libertate indifferentiae.

§. 368. R. neg. ans, et consm. Argumentum istud, cui tam fidunt adversarii, purum est, putidumque sophisma. Dicimus itaque, animam liberam esse et ante operationem, et dum operatur. Ante operationem siquidem, quia habet potentiam se se determinandi ad aliquid agendum, vel non agendum, libera quoque est dum operatur, quia licet in sensu composito (§.14.Log,) non possit agendo non agere, tamen antequam ageret, libere se ad agendum determinavit, ita ut alteram determinationem potuerit efformare; imo dum est in actu, omnem valet suspendere actionem, et oppositum, atque etiam diversum ponere; hinc ex quo id quod est, quamdiu est, necesse est ut sit, sequitur tantummodo non esse possibile, ut anima non faciat illam actionem, quam revera facit; haud vero infertur, ipsam necessario facere id quod facit, ita ut non possit actum suspendere, aut oppositum facere; nam, anima positis omnibus ad agendum requisitis, circa bona, et mala finita, libertatem habet indifferentiae (§. 356.).

§. 369. *Contra.* Atqui voluntas, dum actu operatur, necessario operatur; Ergo n. r. Prob. subsm. Ea operatio, quae ab alia necessario sequitur, talis est, ut nequeat non esse; Atqui operatio voluntatis necessario sequitur ex ultimo judicio practico: Ergo etc.

§. 370. R. conc. maj. n. min. et consm. Judicium practicum ultimum, illud utique est, quo omnibus libratis, et expensis, intellectus dictat, hoc tandem eligendum esse, sive faciendum, vel non faciendum; Sed ex hoc judicio non sequitur necessario operatio voluntatis, quia positis omnibus ad agendum requisitis, et hinc posito quocumque judicio practico intellectus, potest voluntas non operari, et ita quidem ut adhuc maneat ad utramque contradictionis partem indeterminata (§. 356.).

§. 371. *Contra.* Atqui voluntatis operatio ex ultimo judicio practico necessario sequitur; Ergo n. r. Prob. subsm. Voluntas numquam fertur in incognitum;

Sed in incognitum ferretur si ejus operatio ex judicio ultimo practico non sequeretur; Ergo etc.

§. 372. R. dist. min. Si non sequeretur ex aliquo, conc.; ex illo ultimo ab intellectu determinate dictato, n. min. et consm. Voluntas semper non sequitur, seu non semper se ad operandum determinat ope cognitionis ei a judicio practico ultimo exhibitae. Quare ut voluntas non feratur in incognitum, necesse quidem est, ut praecedat aliqua objecti cognitio, sed non semper ea, quae in ultimo judicio practico occurrit; quandoquidem sufficit ea, quae in judicio theoretico habetur. Hoc ex eo quam perspicue patet, quod voluntas, ut operari possit, haud necessarium est, ut intellectus eidem suggerat, hoc bonum esse prosequendum, sed satis est ut cognoscat hoc esse bonum, seu licet intellectus voluntati non dictet Deum esse amandum, quod fit per judicium practicum; potest tamen voluntas ad amandum Deum determinari ex eo praecise, quod intellectus agnoverit Deum esse bonum, quod fit per judicium theoreticum. Tantum igitur abest, ut voluntatis operatio ex judicio practico ultimo necessario sequatur, quin potius, licet nullum adsit judicium practicum, possit ipsa peroptime operari, quin feratur in incognitum.

## CAPUT IV.

### *De dependentia Voluntatis ab intellectu.*

§. 373. Voluntatem humanam ab intellectu pendere, nulli dubium esse posse arbitror. Cum namque ipsa innato pondere in bonum feratur, oportet, ut quod bonum est, vel malum ab intellectu cognoscatur tale, et ipsi offeratur, ut vel quia bonum amplectatur, vel quia malum respuat. Sane quis velle se aliquid dicere potest, quod penitus illi est incognitum? Unde illud: *Nihil volitum, quin praecognitum.*

Boni ergo, malique repraesentationes requiruntur, ut anima hoc aversetur, illud amplectatur. Quod hic examini subjiciemus, hoc est, quid nimirum sit illud, quod in suis liberis actibus voluntatem ultimo determinet? Circa quod haec sunt

*Philosophorum sententiae.*

§. 374. Putant plerique, voluntatem in suis liberis actibus ab ultimo judicio practico intellectus determinari. Opinatur alii, inter quos Leibnitius, Wolfius, Baumeisterus, distinctam boni, vel mali repraesentationem, sive rationem objectivam, quam ipsi sufficientem appellant, voluntatem determinare. Non pauci vero, inter quos Scotistae, Samuel Clarkius etc. existimant ipsam voluntatem esse, quae propria vi, et enegia ad bonum finitum ab intellectu sibi repraesentatum libere se se determinet. Quid nos, ex dicendis patebit. Interim

§. 375. *Animad.* Duplex hic distinguendum est judicium intellectus, *theoreticum*, nempe, et *practicum*. Primum illud dicitur, quo sola veritas objecti exprimitur, veluti hoc: *Deus est Sanctus*; Secundum vero illud, per quod intellectus dictat voluntati aliquid esse faciendum, vel omittendum, uti; *Deus est amandus*; *peccata sunt detestanda*. Atque hoc practicum judicium appellatur *ultimum*, si ipsi statim sequatur determinatio voluntatis.

§. 376. Ratio sufficiens hic, ex Leibnitio et Wolfio, est id, per quod intelligitur, cur voluntas ad hoc potius, quam ad aliud se determinaverit.

## THEOREMA I.

*Voluntas a judicio practico ultimo intellectus in suis actibus non determinatur.*

§. 377. *Demon.* Nam voluntas humana, ut per se patet (§. 358.), est libera libertate contradictionis seu exercitii; positis quippe omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere; Ergo etc. Prob. consa. Si voluntas a judicio practico ultimo intellectus in suis actibus determinaretur, posito ultimo judicio practico, non posset voluntas per se ita non agere quemadmodum judicium illud praecipit esse agendum; Atqui posito etiam illo judicio practico ad voluntatis determinationem requisito, potest se voluntas aliter determinare, quia est libera libertate contradictionis; Ergo etc. Q. E. D.

## THEOERMA II.

*Voluntas humana in suis actibus a boni, vel mali finiti repraesentatione ultimo non determinatur.*

§. 378. *Demon.* Nam posita boni, vel mali finiti repraesentatione, aut potest voluntas humana actus suos suspendere, vel permutare, aut non potest; si non potest; Ergo voluntas positis talibus boni, et mali repraesentationibus, quae sunt motiva (§. 343.), debet necessario agere; non potest enim aliter non agere, quod est absurdum, et destruit in anima libertatem contradictionis; Si vero potest; Libera igitur est, et datis

etiam repraesentationibus boni, et mali, ipsa indeterminata manere potest; Adeoque etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO

*Voluntas humana ipsa est, quae vi sibi propria, in actibus suis, juxta boni, vel mali repraesentationes libere se se determinat.*

§. 379. *Demon.* Nam esse debet aliquid, per quod intelligatur cur voluntas hoc velit, illud respuat; alias aliquid daretur sine ratione sufficiente, quod esse nequit (§. 134. Ont.); Atqui istud aliquid non est extra voluntatem; hoc est vel ultimum judicium practicum intellectus (§. 377.); vel repraesentationes boni, vel mali (§. 378.); Ergo est in ipsa voluntate, quae vi sibi propria, in actibus suis juxta motiva (§. 131. Ont.), seu juxta boni, vel mali repraesentationes libere se determinat (§. 133. 148. Ont.); Adeoque etc. Q. E. D.

---

(a) Qui de humana libertate plura alia scire desiderat, consulere poterit Ant Genuensem Metaph. T. II Cap. IV. Fortunatum a Brixia Metap. P. II. Dissert. III. Sect. II. Tamagna Psyc. Sect. I. Cap. III. Odoardum del Giudice Psyc. Sect. III. Jacquier Metaph. P. II. Sect. I. Cap. III. Art. II. Altieri Psych. Cap. V. Art. II.

# CAPUT V.

## *De Memoria.*

§. 380. *Def. 1.* Memoriam alibi (§. 21. Logicae) definivimus per eam animae facultatem, qua ipsa res, alias cogitatas, cogitat, cum advertentia veteris cogitationis; clarius: dicitur ***memoria facultas animae, ideas praeteritas, non solum reproducendi, sed etiam recognoscendi, omni prorsus seclusa externorum organorum immutatione.*** Memoriae exercitium appellatur *Recordatio*; et haec a memoria differt, ut actus a sua potentia. Impotentia ideas recognoscendi, jam antea cognitas dicitur *oblivio.* Itaque.

§. 381. *Coroll.* Ad memoriam duo requiruntur. I. ut praeteritae rei ratio reproducatur; quin aliqua, vel minima quidem mutatio in externis organis contingat; II. ut mens conscia sit, rem cujus notitiam reproducit, a se fuisse alias cognitam. Atque haec sunt, quae id constituunt, quod *Memoriae Lex* vocari solet.

§. 382. *Schol.* Memoria varie dividitur; nempe in *sensitivam*, et *imaginativam; abstractam*, et *intellectualem*; item in *naturalem*, et *adquisitam*, sive *artificialem.*

§. 383. *Def. 2.* Memoria sensitiva dicitur quando ideae reproductae, primo per sensationem immediatam habitae fuerunt; atque haec proprie appellatur *Reminiscentia*; imaginativa vero si per imaginationem; abstracta cum per abstractionem; intellectualem tandem, cum per intellectionem primo ideae fuerunt adquisitae; Et haec propriae *Memoria* vocatur.

§. 384. *Def. 3.* Memoria naturalis est illa, quam quisque habet a natura, quin ad eam praecesserit ars aliqua, vel exercitium. Adquisita est illa, quae arte atque exercitio comparatur.

§. 385. *Schol. 1.* Experientia constat, non omnes eadem memoria pollere; hinc orta divisio memoriae in *Bonam*, *magnam*, *tenacem*, *Vegetam*, et *Felicem*. Et quidem *bonam* memoriam illi habere dicuntur, qui res cito, et facile memoriae mandant; *Magnam*, qui res multas, longasque rerum series ipsi committunt; *Tenacem*, qui quod memoriae mandarunt, longissimo tempore retinent; *Vegetam*, quibus ideae, earumque recognitiones in eadem claritate persistunt; *Felicem*, tandem, qui talem habent memoriam, quae omnibus recensitis dotibus praedita est.

§. 385. *Schol.* 2. Porro in hac praesenti vita Memoriae varietatem in hominibus, ex diversa corporum constitutione, ac temperamento oriri, nulli dubium esse puto. Cum namque, Philosophis magni nominis fatentibus, physica memoriae caussa ex fibrillarum cerebri flexibilitate repetenda sit; cumque haec eadem non sit in omnibus, sed juxta uniuscujusque corporis temperamentum, et constitutionem, hinc est, ut alii bonam, ali magnam, alii tenacem, alii vegetam, nonnulli etiam felicem; atque non pauci malam, immo pessimam memoriam habere dicantur. Atque hinc plane patet sequentium phaenomenoram explicatio: cur nempe.

I. *Juvenes sint melioris memoriae, quam pueri, aut senes*; quia nempe in pueris cerebri fibrillae sunt admodum molles, nec proinde servare possunt impressionem receptam in prima rei recognitione; in senibus vero cerebri fibrillae sunt nimis rigidae, nec propterea aptae sunt, quae recipiant impressionem ex spirituum animalium motu, cui prima rei notio respondet. At juvenes, cum fibrillas cerebri habeant justa flexibilitate donatas, quae impressionem ex spirituum animalium motu recipiunt, et diu servant, et haud facile obliviscuntur.

II. *Memoria exercitio augeatur, perficiaturque non parum.* Quia nempe cerebri fibrillae, repetitis actibus, expeditiores, promptioresque evadunt ad motionem concipiendam, ita ut, sola accedente voluntate; eam motionem, quae in ipsis facta est, arripiant.

III. *Omnes qui facile res memoriae mandare solent, facile quoque earumdem obliviscantur; et e*

*contra, tenacioris memoriae sint, qui aegre aliquid illi committunt.* Illi namque cum fibrillas molliones habeant, sicuti facile aliquid recipiunt, ita et facile illud deperdunt; Isti vero cum rigidioribus sint fibrie instructi, sicuti magna cum difficultate aliquid ediscunt; ita nonnisi difficulter illius obliviscuntur.

IV. *Memoria a caussis materialibus et externis sicuti laedi, ita et perfici possit.* A caussis nempe materialibus in fibrillas cerebri variae dispositiones induci possunt, quae illas aut molliores, aut rigidiores reddunt, sicque memoriam laedere; vel illas ad debitam flexibilitatem restituere, unde memoriae sanitas, atque etiam perfectio habetur. Sed de hac materia satis.

# APPENDIX

## *De Anima Brutorum.*

§. 387. De Brutorum Anima appendicem hanc aggredienti, en mihi occurrit Poeta quidam hoc sanpienti monitu:

*Corpora Brutorum, quae sive carentia sensu,*
*Sive instructa putes, mirare, et numen adora.*

Et sane tam difficile est quid Brutis insit, vel quanam vi praediti, tam miras efficiant operationes, internoscere; ut nonnulli id assequi penitus desperaverint. Verum aliorum Philosophorum gerentes morem, quae in hac materia scripta sunt perscrutantes, quae probabiliora nobis vobis videntur, tironi philosopho legenda exhibemus.

§. 388. *Def.* Bruta entia sunt viventia, organis sensoriis praedita, atque motu progressivo donata, ab hóminibus specie diversa; vulgari nomine *animalia* appellata.

§. 389. *Schol.* Brutorum duo sunt genera; alia enim sunt *perfecta*; *imperfecta* alia; et quidem prioris

generis illa sunt, quae quinque hebent sensus, ut homines; tales sunt Canes, Feles, Tigres, Leones, et omnia quadrupedia, sicut etiam aves; posterioris vero sunt illa, quae aliquo horum quinque sensuum destituuntur; vel organa sensoria, ut illa perfecta, non habent; cujusmodi sunt formicae, muscae, et insecta caetera. Atque haec notiora sunt, quam quae expositione indigeant. Illud quod Philosophorum semper torsit ingenia, et in varias distraxit sententias, atque in plurima absurda non paucos eorum incidere fecit, est sciri: Brutorum operationes proveniant nec ne ab activo principio in ipsis existente? et dato quod sic, cujusnam naturae illud sit, materiale, simplex, aut vere spirituale? Circa quod haec sunt.

### *Philosophorum placita.*

§. 390. Praetermissis omnibus illis; qui metempsychosin admittentes, Bruta esse ab animabus rationalibus informata tuebantur (§. 160.): Damnatis iis, atque penitus protritis, qui animas omnes, etiam pecudum, divinae substantiae partes esse effutiebant (§. 112.), nec non risu, et cachinnis excepta Bougeantii sententia, qua asserit Daemones Brutorum corporibus assistere, eisque pro anima esse in functionibus peragendis; omnia, circa Brutorum animas, Philosophorum placita, ad duas classes reducimus. In quarum prima eos reponimus, qui aut nullum principium activum, aut solum materiale in Brutis recognoscunt; in secunda vero illos, qui illud non solum admittunt, sed spirituale quoque, vel saltem simplex, et immateriale adfirmant. Ac inter primos quidem, principem locum sibi vindicat Renatus Cartesius. Is namque veritus ne si semel Brutis agendi principium concederetur, concedi et una deberetur illud esse spirituale, immortale, humanoque prorsus simile, Bruta pura, putaque Automata, seu machinas esse constanter asseruit. En quomodo se explicat (apud P. Pardies §. 8. narr. delle anime delle Bestie) loquendo de operationibus naturalibus Brutorum: « Le Bestie non sono che machinette,

» che si muovono a forza di molle: le pulsazioni delle » arterie non sono più segno di vita di quello sia il » battere di una mostra di orc » : De operationibus vero spontaneis verba faciens, ita scribit « Qualsivo- » glia inquietitudine osserviamo in un cane, che ha » perduto il suo padrone, e qualunque allegrezza ei » faccia nel trovarlo, non dobbiamo attribuirli più di » passione di quello facciamo ad un aco calamitato, » quando vediamo, che si accosta al suo polo. Quando » un cane è ferito, ei non sente il dolore; e per quan- » te miserabili grida egli faccia, non sono che un ru- » more fatto dalla machina, appunto come un tam- » burro nell' esser percosso. Così anche quando dopo » aver battuto una bestia, ella si volta e ci morde; » onde noi pensiamo sia contro noi sdegnata, noi sia- » mo semplici come quei buoni Popoli di Gnido, che » nel perforare ii loro Istmo, vedendogli saltare al » viso li rottami di quella rupe; pensarono che fosse » contro di loro sdegnato; onde consultando l' oraco- » lo, per risposta dell' istesso lasciarono il disegno ». Cartesio, in hac sententia Cartesiani fere omnes adhaerent, cum quibus Purchotius; et Fortunatus a Brixiâ, qui licet Belluis visum, odoratum etc. tribuant, in eis tamen veram non esse visionem, verumque odoratum affirmant. Hanc eamdem sententiam multo ante Cartesii aetatem, jam propugnaverat Gomesius Pereira in libro, quem *Antonianam Margaritam* inscripsit. Fuere alii, qui esto Brutorum animas pura esse automata denegent, eas tamen materiales substantias recte dici posse affirmant; ita P. Ferraris, qui (Psyc. P. III. Disp. IV.), eas formas absolutas, et substantiales, quae materiales sunt, statuit; ita etiam Auctor Philosophicarum Institutionum Lugdunensium. Gassendus vero, Maignanus, aliique Anatomistae, Brutorum animam reponunt in corpore quodam exilissimo igneo, et spiritoso, quod flammulam, vel oleum, aut spiritum, vel salem tenuissimum, aut florem sanguinis appellant. Contra hos, aliosque ejusdem sententiae, ex adverso stant Recensiores fere omnes alii, qui tuentur, Animas Brutorum esse omnino immateriales, et

simplices ; quinimmo vere spirituales. Quid in tam obscura, et implicita materia, et in tanto super eam Philosophorum dissido, sentiemus, mox, expositis quibusdam experimentis, et observationibus, patebit.

*Experimenta, et observationes.*

I.

§. 391. *Bruta*, de perfectis loquimur, *iisdem organis sensoriis ac homines instructa sunt ; oculos nempe habent, nares, aures, os, linguam, cutem, cerebrum, nervosque hucusque protensos.*

§. 393. *Coroll.* Bruta itaque laudata, omnia habent ad sentiendum requisita. Ad quid enim ea illis contulisset Deus, nisi ut sentirent ?

II.

§. 393. *Bruta organis sensoriis ad objecta externa excipienda utuntur ; percipiuntque revera colores, odores, sapores, sonos, dolores, voluptatem, atque inter unum et aliud distinguunt, et hoc non esse illud diversum, internoscunt, majori quandoque efficacia ac homines ipsi ; hinc celebre illud :*

*Nos Aper auditu, Linx visu, Simia gustu,*
*Vultur odoratu praecedit, Aranea tactu.*

§. *Coroll.* Bruta ergo sensu praedita sunt.

III.

§. 395. *Bruta se ab invicem distinguunt ; inter utilia ac noxia, amica et infesta internoscunt. Ex voce, sibilo, strepitu, odore objecta discernunt ; Dominos, illosque, qui ea beneficio aliquo affecerunt ab extraneis, atque inimicis distinguunt.* Hinc

§. 396. *Coroll.* Brutis sensus internus seu apperceptio inest ; alias enim quanam ratione explicari pos-

sent tot, tam mira, quae a Canibus praecipue, Equis, Felibus, Vulpibus etc., in dies fieri observantur?

IV.

§. 397. *Bruta viso baculo, quo semel vapulaverunt, fugam arripiunt; immo non raro, ejulatus edunt, ne iterum verberibus afficiantur; quandoque pluribus modis, atque gesticulationibus ad pedes dominorum suorum accedentes, ne verberentur, obtinent.* Haec satis obvia sunt in felibus, Canibus, Simiis etc. Insuper insomnia habent, ut de canibus venaticis praesertim observatur; in somnis enim quandoque latratus edunt.

§. 389. *Coroll.* Bruta imaginatione donantur, eamque mirabiliter exercent; Adeoque phantasia, facultate nempe imaginandi (§. 22. Log.), praedita sunt.

V.

§. 599. *Bruta, etiam sine duce, domum dominorum suorum revertuntur, etiamsi ab illis plurima passuum millia distent; et dominos suos, etiamsi per plures annos non viderint, recognoscunt.* Ita de quodam cane Ulyssis, refert Homerus (Odiss. P.); quod post annos viginta *continuo advenientem Ulyssem cognovit. Insuper fugiunt quos sibi infestos habuerunt. Ulterius educationis capacia sunt.* Quae non addiscunt Canes, Simiae, Ursi quoque, et Elephantes? Equi ad certum aliquem gressum, et ad alia efficienda instruuntur; unde, et admirabiles redduntur sive in cursu, sive in curribus trahendis, et non raro internoscunt aurigam ab auriga, equitem ab equite, et huic potius quam alio obtemperant.

§. 400. *Coroll.* Bruta itaque praeteritarum rerum recordantur; adeoque memoria praedita sunt. Neque id negari posse adserit S. Augustinus (Lib. 1. de Musica Cap. IV. n. 8.), « Nam et nidos, post annum revisunt » hyrundines, et de capellis verissime dictum est: At» que ipsae memores redeunt in tecta capellae. Et canis

» heroem Dominum jam suis hominibus oblitum recognovisse praedicatur etc. Idipsum asserit de piscibus ( Lib. de Gene. ad liter. Cap. VIII. ). Hinc Bruta facultate cognoscendi inferiore praedita dicenda sunt ; adeoque verè cogitare.

## VI.

§. 401. *Bruta cibos sibi convenientes appetunt, illosque exquirunt.* Quid non agunt Feles, Canes, Vulpes etc. ut sibi cibos comparent ? Item amore, odio, ira metu, invidia, atque indignatione sunt perciti. Quo amore, multa ex illis, suos Dominos, et benefactores, non prosequuntur ? quae cura illis non est filiorum ? qua diligentia eos non tuentur, atque alunt ? Taliter in aliquibus eorum praesertim, ira, odium, et indignatio regnat, ut quandoque vindictam de hostibus meditentur, et data opportunitate mirifice exequantur. Jucundum sane, atque mirabile est illud, quod de Milvo, et Aquila, graphice scribit Cardinalis de Polignac ( Lib. VI. Anti-Lucretii ), sequentibus versibus

*Quondam inter Milvos fuit audacissimus unus*
*Imbelles antehac solitus vexare columbas.*
*Hino tandem aut fato, aut famae melioris amore*
*Dedignatus aves timidas, praedamque fugacem*
*Alituum regnantem Aquilam ad certamen iniquum*
*Provocat, et rostro, et penna bis, terque lacessit*
*Sprevit principio malesanos alitis ausus,*
*Nec minus incaepto per nubes illa volatu*
*Institit : at reducem rursum temerarius urget*
*Plumaque avulsa circumfert ore trophaeum,*
*Plus aequo nunc visu sibi tolerasse, procacem*
*Occupat, et vitae parcens in rupe relinquit*
*Implumem. Hic quid agat. ? non occubuisse pudoris est :*
*Non animos posuit tamen, at nudatus et algens*
*Ulcisci meditatur. Ibi sub tegmine quodam*
*Vermiculis pastus simul artus nutrit, et iras,*
*Dum redeat vigor, atque levis reparatur amictus*

*Adfuit expectata dies : juvat ire per auras ,*
*Magnanimamque nimis , si non vi , at fraudibus*
*( hostem*
*Debellare : dolo virtus se victa tuetur.*
*Pons erat undarum conflictu exesus , et annis*
*In medioque trabes corrosas inter hiatus :*
*Hunc sibi pro laqueo , pro retibus eligit ultor ,*
*Vindictaeque locum , si qua fortuna juvabit ,*
*Destinat. Ingreditur primum pedes , utque ca-*
*( pacem*
*Agnovit , caute tentat penetrare volando :*
*Inde intrat praeceps , ac totus concitus alis :*
*Quod cum saepe , diuque , omnique ex parte*
*( probavit ,*
*Erigitur Coelo , et victricem quaerit in auras.*
*Ergo insultanti similis se se obvius infert*
*Indignanti Aquilae : venit ipsa , paratque re-*
*( bellem*
*Aut iterum spoliare , aut certae tradere morti.*
*At notum refugit vafer insidiator hiatum ,*
*Et vix transiliit , cum desuper impetu rapta*
*( Urget enim coecus furor , et spes maxima praedae )*
*Angustum in spatium ruit , atque impingitur*
*( ultro*
*Infelix Aquila , et pennis luctantibus haeret ,*
*Corpore dimidia jam praetergressa meatum*
*Advolat e latebris milvus , poenamque reposcens*
*Velicat elisae plumas , ultusque recedit.*

§. 402. *Coroll.* Bruta ergo gaudent appetitu sensitivo , conatu nempe versus bonum jam cognitum , ejusque vehementioribus affectionibus subjacent.

## VII.

§. 403. *Bruta secundum praesentem appetitionem , vel aversionem se movent.* En canis , modo jacet , dormitatque , modo hanc , modo diversam in incedendo accipit directionem ; nunc se sistit ; nunc velociter currit ; huic ablanditur quia dominus ejus est , vel bene-

factor, alio adlatrat, et morsus minitatur, vel quia hostis, vel quia ignotus est. Vocatus, modo recta currit, modo pedentetim, et cum difficultate, modo etiam quin veniat, alio divertit, aut fugit. Idem dic de equo, de fele etc.

§. 404. *Coroll.* Bruta igitur non agunt necessario; quia quod necessario agit, positis ad agendum requisitis, nequit non agere (§. 60. et seq. Ont.) Adeoque motus spontaneos habent, atque a coactione sunt libera.

## VIII.

§. 403. *Bruta licet et os, et linguam, et alia organa ad loquendum idonea habeant; unde et quaedam volatilia voces articulatas edere addiscant; voces tamen articulatas* (§. 90. Log.) *non habent, sed loquela, atque sermone omnino carent.* (§. 99. Log.). Itaque

§. 406. *Coroll.* Bruta ideas distinctas non habent; adeoque intellectu superiore, seu ratione, vel vi ratiocinandi proprie dicta destituuntur; quaecumque propterea ratiocinia in suis operationibus intessere nobis apparent, ratiociniorum potius umbrae dicenda sunt, cum sint admodum imperfecta, et ideis singularibus innixa. Quare ipsa nec voluntatem, nec libertatem habere tenendum est; et consequenter justi, et honesti nullam ideam hebent; nec legis sunt capacia, meriti, vel demeriti, praemii, aut supplicii.

## PROPOSITIO I.

*Bruta pura Automata non sunt, sed Animam habent.*

§. 407. *Demon.* Nam Bruta omnia, ut homines, habent ad sentiendum requisita (§. 392.); Sensu externo (§. 394.); et interno (§. 396.); Phantasia item (§. 398.), et Memoria (§. 400.); nec non Appetitu sensitivo praedita sunt (§. 402.); motusque vere spontaneos exercent, atque a coactione sunt libera (§. 404.); Ergo inest eis principium quoddam a corpore diversum, cui facultates laudatae, tamquam subjecto inhaerent; Atqui principium hujusmodi est quod animam vocamus; Igitur Bruta non sunt pura Automata, sed animam habent. Q. E. D.

## PROPOSITIO II.

*Brutorum Anima est substantia simplex, et immaterialis.*

§. 408. *Demon.* Nam substantia materialis et corporea nequit ullo pacto cogitare (§. 32.); Atqui Brutorum anima cogitat (§. 100. et 400.); Ergo Brutorum anima etc.

§. 409. *Coroll.* Falluntur itaque Anatomistae, qui Brutorum animas in corpusculis exilissimis igneis, et spiritosis etc. (§. 390.) constituunt; Haec namque corpuscula, ut ut exilissima, sunt ne materialia? utique; corporea namque sunt; Ergo repugnat, quod sint cogitationum subjectum; et consequenter nequit in eis anima consistere. Nec minus decipiuntur quotquot Brutorum animas formas absolutas substantiales esse affirmant; nam hujusmodi formae sunt simplices, aut compositae? inter haec non datur medium (§. 275. Ont.); sunt compositae; Ergo nequeunt esse Animae Brutorum

§. 410. *Animad.* Si ens spirituale sumitur prout enti materiali contradictorie opponitur, absque ullo alio respectu, et quatenus cum ente simplici confunditur; et hoc in casu, nihil vetat quominus anima Brutorum dicatur substantia spiritualis; si vero sumitur pro substantia *intellectu, et voluntate praedita*, et tunc rigorose spiritualis dici nequit, caret enim intellectu superiore, nec voluntatem, nec libertatem habet. Quare est multo inferioris conditionis ac anima nostra, cum haec substantia sit intellectu, voluntate, et libertate praedita, meriti idcirco, demeritique capax, legis, atque honestatis.

*Argumenta in contrarium solvuntur.*

§. 411. *Obijc.* c. 1. Prop. Certum, atque indubitatum est apud Philosophos, frustra fieri per plura, quae optime fieri possunt per pauciora; Sed operationes, quae in Brutis conspiciuntur, optime per mechanismum corporis explicari possunt, absque eo quod ad cognitionem recurramus; Ergo etc. Prob. min. Deus potest efficere machinam, quae valeat operationes omnes efficere, quae a Brutis exequi conspicimus; Sed in hoc casu optime explicari possent operationes Brutorum oriri a mechanismo corporis, absque eo quod ad cognitionem recurramus; Ergo etc.

§. 412. R. dist. maj. Deus efficere potest, et de facto efformavit machinam, quae valeat operationes efficere, quas a Brutis effici conspicimus, n. maj., non efformavit, conc. min., et n. consm. Ad quid se extendat, et quid efficere possit Deus, omnipotentia sua, nec scimus, nec scire possumus. Hoc dicimus, in praesentiarum, fieri a Deo non posse tales machinas, quae sine anima, et cognitione, Brutorum operationes omnes expleant. Et sane, cum compertum sit, Bruta sentire, et cognoscere, nec non affectibus agitari etc. (§. 391. et seq.); quisnam affirmare poterit, machinas sensui destinatas, posse sine sensu a Deo efformari? Quisnam varios Brutorum motus considerans, eos omnes, sola objectorum

externorum vi proficisci posse, animo serio, et sincero affirmabit? Ad illa, quae jam retulimus, non pigeat addere, quod non sine admiratione fuit aliquando in Simia observatum. Simia castaneis inhians quae prunibus, ut coquerentur suppositae erant, cum nec patillum, nec forcipes, aliudque instrumentum, castaneis extrahendis aptum praesto haberet; pedes autem suos, quibus rem tentaverat, uri sentiret, fortuito felem aspexit, eo igitur statim arrepto, costaneas ex prunis, non sine maximo maumatu, atque adstantium risu, iisdem felis pedibus eduxit, et comedit. Intelligat qui possit cum Cartesio, operationem dictam a puro mechanismo oriri.

§. 413. *Contra*. Atqui non repugnat a Deo machinam elaborari, quae valeat functiones exercere, quae fiunt a Brutis; Ergo n. r. subsm. Fiunt ab hominibus machinae, quae nullo externo dirigente subjecto, animalium instar ambulant, humanas voces deunt, aliqua plurima efficiunt, quasi sensu, et cognitione polleant; talis fuit machina ab Archita Tarentino elaborata, qui columbam ligneam finxisse fertur, quae in aera volitaret; talis fuit statua illa ab alio efformata, quae ad consequendam sui domini libertatem libellum supplex ad Tirannum Regem obtulit; talis alia statua, quae oriente Sole, cantibus circumstantes demulcebat; Cur ergo non potest Deus machinas efformare, quae functiones exerceant, quas a Brutis fieri conspicimus? Ergo, etc.

§. 414. R. Laudatum argumentum nihil aliud probare potest, si aliquid probat, quam Deum efficere posse machinas longe perfectiores illis jam relatis, non autem Brutorum animas esse machinas a Deo elaboratas. Cum namque probatum sit, Brutorum operationes, effectus esse non posse substantiae mere corporeae, et materialis (§. 408.): et multo minus simplicis mechanismi (§. 407.), cumque certum aliunde sit (§. 55. R. ad ult.), Deum quae intrinsecus repugnant efficere non posse, patet Deum, puras Machinas non effecisse Brutorum animas.

§. 415. *Contra*. Atqui non repugnat, ut Bruta fiant a Deo, quae easdem operationes efficiant sine co-

gnitione et anima; Ergo n. r. Prob. subsm. Non repugnat quod factum sit corpus humanum a Deo, ita ut sine cognitione aliquas eliciat actiones, quae quamcumque cognitionem supponant, nullam tamen habent, ut videre est in parvulis praesertim; Ergo neque repugnat, ut etc.

§. 416. R. dist. ans. Et operationes recensitae, quae a corpore humano fiunt, sunt illius generis, quae cognitionem praesupponunt, n. ans.; nullam cognitionem supponunt, conc. ans., et n. consm. Operationes quae in puerulis ab adversariis jactitantur, de numero illarum operationum sunt, quae mere corporeae sunt (§. 185.); quaeque propterea solo corporeo fiunt mechanismo, nec praesupponunt cognitionem, cum ab animae imperio non dependeant. At in Bruto, praeter has operationes, observantur operationes mixtae, nempe sensationes, operationes spontaneae etc., quae a solo corpore fieri nequeunt, sed anima indigent. Ex quo itaque tales machinas, sive corpora efformaverit Deus, quae motus corporeos absque cognitione exequantur, non sequitur Deum Bruta efformasse, quae operationes efficerent absque cognitione.

§. 417. *Objic.* c. II. Prop. Si Brutorum anima esset immaterialis, et incorporea, esset quoque immortalis; Atqui immortalis non est; Ergo etc.

§. 418. R. dist. maj. esset immortalis intrinsecus, conc., extrinsecus, n.; et contrad. min., n. consm. Cum Brutorum anima statuatur a nobis immaterialis; cumque substantia immaterialis, utpote partibus carens, mori non possit per corruptionem, nihil vetat quominus immortalis intrinsecus (§. 61.) dicatur. At non sequitur ex hoc, ipsam post mortem corporis non fore interituram; potest quippe Deus omnipotentia sua illam in nihilum reducere, et sic desinet existere, nec erit immortalis.

§. 419. *Contra.* Atqui si anima brutorum est immaterialis est quoque extrinsecus immortalis; Ergo n. r. Prob. subsm. Si hoc non esset, quomodo adversus Epicureos demonstrari posset hominum animas esse immortales? Quomodo Decreto Concilii Lateranensis V. possent Catholici

Philosophi satisfacere, et rationibus naturalibus ostendere, animas hominum post mortem corporis superesse, atque aeternum vivere? Actum procul dubio foret de Dogmate hoc Catholico, immortalitatis nempe animae; Ergo etc.

§. 420. R. Ex eo quod anima hominis spiritualis sit, id solum deducunt Catholici Philosophi, ipsam naturaliter interire non posse, tum quia incorruptibilis (§. 64.); tum quia nullum ens finitum reperire est, quod animam possit existentia, et vita privare (§. 66.); hinc post mortem corporis superesse ostendunt, ex eo quod a corpore soluta vim habeat cogitandi (§. 68.), cogitetque reipsa (§. 69.); neque hoc illis etiam sufficit, ut ostendisse dicantur, animam humanam numquam mori, et aeternum vivere, cum sciant posse animam a Deo annihilari (§. 87.); Ut ergo id ostendant, praeter argumentum a spiritualitate desumptum, innumera alia, et quidem firmissima argumenta in medium proferunt ex divina bonitate (§. 70.); Justitia (§. 71.); Sapientia (§. 72.); atque voluntate deprompta, queis invictissime demonstrant, Deum Animam humanam post corporis mortem in aeternum servare. Jam vero idipsum dici nequit de Brutorum anima; quia cum haec libertate careat; sitque proinde praemji, vel poenae incapax (§. 466.); nihil obstat quominus a Deo annihiletur.

§. 421. *Contra*. Atqui si anima Brutorum esset spiritualis, esset quoque immortalis ex voluntate Dei; Ergo stat argm. Prob. subsm. Si anima Brutorum esset immaterialis, essentialiter non differet ab hominis anima; Atqui ea quae inter se essentialiter non differunt eumdem statum sortiuntur; Ergo etc. Prob. maj. Immaterialis est anima humana, immaterialis est anima Brutorum, cognoscens est anima humana, cognoscens anima Brutorum: Ergo etc.

§. 422. R. dist. ans. Et immaterialis, et cognoscens eodem modo dicitur anima hominis ac anima Brutorum. n. ans.; diverso, conc., et n. consm. Longissime differunt inter se anima humana, et anima Brutorum, tum in natura, cum in operationibus. Nam anima humana est intellectu etiam superiore, et libertate praedita,

unde et substantia spiritualis rigorose dicitur ; non sic autem anima Brutorum, quae intellectu superiore, et libertate caret ( §. 410. ). Anima humana non cognoscit solum sensibilia, et materialia, sed spiritualia quoque, universalia, et abstracta ( §. 12. ); Brutorum vero anima solum particularia, et sensibilia cognoscit. Anima hominis, ratione proprie dicta gaudet, non item illa ; *Hominem proinde inter ac belluam* ( ad rem Tullius Lib. 1. de Off. Cap. IV. ), *hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodque praesens est, se accomodat: homo autem, qui, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia, et caussas rerum videt etc. eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, et ad orationem, et vitae societatem.* Igitur etc.

§. 423. *Dices.* Animas Brutorum immateriales asserere, est contradicere S. Scripturae, quae asserit eas nonnisi per generationem oriri. Legitur quippe ( Gen. Cap. 1. v. 14. ) : *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias secundum species suas ;* Adeoque etc.

§. 424. R. Falsum est, laudato Geneseos loco asseri, Brutorum animas per generationem oriri, quin potius oppositum constat ; illas nempe per creationem a Deo produci ; per generationem vero produci tantum eorum corpora. Legitur namque ibidem, sed v. 21. *Creavit Deus Cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, et omne volatile secundum genus suum* ( et v. 25. ) : *Fecit Deus bestias terrae juxta species suas, et jumenta, et omne reptile in genere suo.* Non per generationem itaque, sed per creationem a Deo animae Brutorum producuntur. Adeoque etc. (a). Atque hic Psychologiae nostrae esto

*FINIS.*

---

(a) Multa sunt, quae ab Adversariis tam ex ratione, quam ex Sacra Scriptura contra nostram sententiam adducuntur ; sed facile dilui possunt. Legatur P. Tamagna Metaphys. P. IV. Sect. ultima.

Digitized by Google

# METAPHYSICÆ PARS IV.

## *IDEST*

# THEOLOGIA

## NATURALIS.

### *Theologiae nomen, divisio etc.*

§. 1. *Def.* Theologiæ nomen a duobus graecis vocabulis *theos*, nempe latine *Deus*, et *logos*, *aut logia*, latine *sermo*, *discursus* derivatum, idem significat, ac *de Deo discursus*, vel *sermo*. Quare hic, Theologia est nobis ea Metaphysicae pars, quae de Deo, ejusque attributis agit.

§. 2. *Schol. 1.* Quanti sit haec Metaphysicae pars ab omnibus facienda, quantoque studio excolenda, neminem sanae mentis latere puto. Cum namque necesse sit nos ipsos nosse, quidve illud sit, quo a creatis rebus reliquis distinguamur, quantum necesse non erit, Deum cognoscere, a quo, quod sumus habemus, vivere, atque conservari; et a quo solo summo bono, et perfectissimo felicitatem veram, et semper duraturam speramus, illam nempe, quam ipse indubitanter daturus est

omnibus qui fide recta, et conscientia bona diligunt eum, eique fideliter, atque perseveranter deserviunt? Ita sane.

§. 3. *Schol. 2.* Duplici autem via possumus in Dei cognitionem venire, atque de eo sermonem habere; *Naturali* scilicet *ratione*, atque *Revelatione* Dei ipsius; Hinc duplex distinguitur Theologia; *Naturalis* scilicet, et *Revelata.*

§. 4. *Def. 2. Theologia naturalis est scientia, seu doctrina, qua, sola naturali ratione duce, et omni revelatione seclusa, quantum limites humanae rationis sinunt, de Deo, rebusque Divinis sciendum est, distincte traditur. Theologia* vero *revelata est scientia, seu doctrina, quae de Deo, rebusque divinis agit, ipsiusmet Dei testimonio, et revelatione innixa.*

§. 5. *Coroll. 1.* Theologiam itaque naturalem hic nos pertractamus; de Deo propterea, rebusque Divinis agimus, solius naturalis rationis ductu. Philosophi sumus, quae ergo philosophi sunt tantum persequemur; quae de Deo, rebusque Divinis per Revelationem sciri possunt, ad Theologos spectant.

§. 6. *Coroll. 2.* Objectum igitur Theologiae naturalis sunt Deus, ejusque attributa, quatenus naturali rationis lumine cognosci possunt; nec non cultus, et Religio, quam vel ipsa naturalis ratio Deo deberi dictat.

## *Theologiae Naturalis Divisio.*

§. 7. Hanc Metaphysicae partem duabus tantum Sectionibus expediemus. In quarum prima Dei existentiam, ejusque attributa explicabimus; in altera vero, brevem de Religione naturali, seu de cultu Deo, secundum recte rationis principia, debito, tractatum habebimus.

# SECTIO I.

## *De existentia, atque attributis Dei.*

§. 8. *Def. Dei nomine* hic intelligimus *Ens necessarium, et a se, omnium aliarum rerum caussa, et origo.*

§. 9. *Animad.* Cum Deus sit summe, infiniteque perfectus; ut infra clare patebit, aliunde autem mens nostra limitibus admodum angustis coarctata, nullus proinde humanus intellectus capere potest, multoque minus lingua exprimere, quid vere Deus sit. Scite Simonides, ut refert Tullius (Lib. 1. de Nat. Deor.) » Interrogatus olim ab Hyerone tyranno quidnam » esset Deus? Deliberandi unum sibi diem postulavit: » cum idem ex eo postridie quaereretur, biduum petiit, » ac cum ita saepius duplicaret numerum, ad miratusque » Hyero tyrannus, qui rogaverat, efflagitaret, cur ita » faceret? Quia, inquit quanto diutius considero, tan» to mihi res videtur obscurior ». Ut igitur ens necessarium et a se, qualem se esse Moysi, ipse dixit (Exod. Cap. III. v. 14.; : *Ego sum qui sum*, Deum considerantes, quae de ejus existentia, et attributis scitu necessaria sunt, in hac prima Sectione, distinctis Capitibus exponemus.

# CAPUT I.

## *De Dei existentia.*

§. 10. Deum existere, est in hac rerum universitate, vere extare Ens hujusmodi, quod sit necessarium (§. 241. Ont.), et a se (§. 242. ib.), a quo omnia alia entia suum esse habent, atque conservationem, ita ut nihil possit praeter ipsum, sine ipso existere.

§. 11. *Schol.* Qui hujusmodi Ens existere tenent *Theistae* vocantur, qui vero aut illius existentiam negant, aut de illa dubitant, *Athei*, hoc est *sine Deo*, appellantur. Non unius autem generis Athei inveniuntur. Quidam enim ignorant Deum esse, nec quidem cogitant an sit, et hi dicuntur Athei *negativi*, quorum ignorantia, si adhibita morali diligentia vinci et superari potest, ipsorum atheismus dicitur *vincibilis*; *invincibilis* vero si vinci nequit. Quidam alii Deum non esse sibi persuadent; unde et ipsum existere, perfricta fronte, audent inficiari; atque hi Athei *positivi*, *theoretici* dicuntur. Quidam tandem, Deum quidem existere non negant, verumtamen ita vivunt, ac si revera nullus extaret Deus; et hi athei *practici* nuncupantur. Sed fuerunt ne, suntque modo Athei in hoc Mundo? Quoad Atheos negativos, et practicos, certum est, eos omni fere aetate inventos fuisse, nec modo deesse, et ad finem usque, et consummationem seculorum fore extituros. Cum namque per Orbem dispersi non pauci inveniantur, qui vel Deum non cognoscunt, vel ipsum non cogitant; Cumque homines proni sint ad malum ab adolescientia sua, nec desunt, nec deerunt Athei sive negativi, sive practici. An vero fuerint unquam, et modo dentur Athei proprie dicti, *positivi* scilicet, qui serio, et ex corde sint persuasi, Deum non existere.

*Varia sunt Philosophorum placita.*

§. 12. Sextus Empiricus, multos inter Veteres, enumerat Atheos, Prodicum nempe, Ceum; Evehemerum, Diagoram Melium, Critiam, Protagoram, Abderitem, quibus accensentur Clitomacus, Bion, Lucianus, Leucippus, aliique. Ex Recensioribus etiam non pauci, velut vere athei reputantur, ut recte dixerit quidam Gallus Auctor: « Hodie magna Mundi haeresis non est » amplius Calvinismus, aut Lutheranismus, sed Atheis- « mus » inter quos praecipue numerantur Lucilius Vanini, Spinoza, Tolandus, Hobbesius, Auctor Systematis Naturae, Sainthibal, Euremond, Montagne, Marchio d'Argens, aliique. Verum penitus *nego* cum S. Augustino (Lib. de vera Relig. Cap. 38.) *esse quemquam istorum, qui nihil colendum esse existimet.* Sane Veteres Illos vere atheos theoreticos fuisse negant gravissimi Auctores, et Tullius ipse; Recensiores vero Atheos potius practicos esse, aut qui potius vellent Deum non existere, quam sibi serio ex corde presuadeant ipsum revera non existere, dicere possumus. Merito propterea Rousseau (Epitre a M. Racine), dicebat Atheos in voluntate potius pati, quam in intellectu. Etenim cum nulla plausibilis ratio inveniri possit, quae illorum sententiam sustinet, si errant, non intellectus errori tribuendum est, sed protervae, et perversae ipsorum voluntati, quae claudit obstinata oculos ne videat lucem. Quidquid autem de hoc sit; dentur ne, an non Athei vere, et proprie dicti, *positivi* nempe, atque *theoretici*, nihil, aut parum nostra refet. Philosophi partes explemus, quod ad nos attinet, et qua possumus claritate, rationum pondere, ac firmitate, Dei existentiam demonstrare conabimur.

Digitized by Google

# THEOREMA I.

*Propria cujusque hominis existentia, Deum existere invictissime demonstrat.*

§. 13. *Demon.* Existo ego prout sum ens cogitans; Atqui non semper extiti; Ergo debuit esse caussa, quae me existentia donavit; Atqui caussa hujusmodi nequit esse nisi Deus; Ergo existit Deus; Adeoque etc. Major propositio est evidentissima; nam si sum ens cogitans, activum nempe, repugnat quod non existam; alias enim daretur effectus, nempe cogitatio, quae est actio (§. 100. Psy.), quin existat principium ejus activum, nempe caussa (§. 47. Ont.). Nec minus evidens est propositio minor; mihi enim plenissime conscius sum, non semper extitisse, sicut et certissime scio caeteros homines, ut ego sum, initium habuisse. Certe ante annos sexaginta non existebam. Consequentia itidem certissima est; nullus enim effectus dari potest sine sui caussa efficiente, in qua suae existentiae ratio sufficiens contineatur. (§. 42. ibi.). Probatur minor subsumta. Si caussa hujusmodi non esset Deus, ens nempe necessarium, et a se (§. 8.), foret ens contingens, inter haec duo enim, necessarium nempe, et contingens non datur medium (§. 244. Ont.). Atqui nequit esse ens contingens; Ergo est ens necessarium. Prob. min. Prout ego sum ens cogitans, est in me substantia spiritualis, anima scilicet; cogitatio enim materiae repugnat (§. 32. Psyc.), quae oriri non potest, nisi per creationem (§. 414. Ont.); Atqui vis creandi, caussis contingentibus repugnat (§. 402. ibi.), et tantum enti necessario inest (§. 413. ibi.); Ergo etc.; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 14. *Coroll.* Ex his patet quam male sentiant, atque a vero aberrent Sociniani, qui Dei existentiam solius naturalis rationis ope demonstrari non posse affir-

mant. Si namque dicta probe intelligantur, nullum effugium Atheis superesse videbitur, ut Deum existere non fateantur.

## THEOREMA II.

*Humani corporis structura Deum existere ostendit.*

§. 15. *Demon.* Quodlibet opus, caussam sui efficientem supponit; quae caussa tanto praestantior est, atque perfectior, quanto praestantius, atque perfectius est opus (§. 16. Cosm.), effectus enim perfectior, et nobilior esse nequit sua caussa (§. 57. Ont.); Atqui in rebus materialibus, Mundum hunc componentibus, nihil admirabilius, nihil praestantius esse potest corporis humani structura; ergo praestantissima caussa, plena virtutis, et sapientiae dari debuit, quae ipsum ex nihilo condidit; Jam vero hujusmodi caussa alia esse non potest, nisi ens necessarium, et a se, nempe Deus; Ergo etc. Q. E. D.

§. 16. *Schol.* Adducta demonstratio vim omnem habere puto ad Dei existentiam demonstrandam. Verum claritatis gratia, et ut magis athei confundantur, audiatur Mercurius Trismegistus (In Primandro Cap. V.) « « Age fili, en ejus verba, circumspice humani corpo» ris opificium, cujus admonitione perdisce, quis tam » pulchrae imaginis conditor, oculorum pictor, quis na» res auresque tornavit, quis labia distendit oris, quis » nervos tetendit atque ligavit, quis irrigavit venas, » quis ossa congessit solida, quis carnem pellicula tenui » circumtexit, quis digitos, articulosque discrevit, quis » fundamenta pedum extendit, quis perforavit poros, » atque meatus aperuit, quis splenem coegit atque com» pressit, quis pyramidis impressit cordi figuram, quis » jecoris porro texit fibras, quis pulmonum sculpsit fi» stulas, quis alvo capacem amplitudinem tradidit, quis » honoranda corporis membra in propatulo figuravit,

» quis obscaena in obscuro prorsus abdidit, eaque
» aspectu cernentium voluit secreta jacere. Vide quot
» divinae artis opera in una materia demonstrantur,
» singulaque pulchra, recteque dimensa, nec non pro-
» priis invicem officiis differentia. Quisnam singula finxit?
» Qualis pater? Nonne haec solus ipse invisibilis Deus
» cuncta, propria voluntate, molitus est?

## THEOREMA III.

*Mundus hic adspectabilis, et omnia quae in eo sunt, sive in Coelo, sive in terra, Deum existere depraedicant.*

§. 17. *Demon.* Mundus hic adspectabilis, non ex fortuito atomorum concursu (§. 29. Cosm.), neque ex praeexistenti materia aeterna (§. 34. ibi.); sed per veram creationem fuit ab ente necessario, et a se, ex nihilo productus (§. 37. ibi.); Ergo existit ens necessarium et a se (§. 246. Ont.); Sed hujusmodi ens necessarium, et a se est Deus; Ergo existit Deus; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 18. *Schol.* Allata mox demonstratio, esto brevis, sufficientissima tamen est ad athcos conterendos. Nihilominus, ut penitus occludatur os in Deum iniqua loquentium, et pudore afficiantur, perfundanturque confusione quotquot de Atheorum numero se esse stulte nimis, atque insipienter gloriantur, excribere hic non pigeat, quae pro Dei existentia ex rerum hujus Mundi adspectabilium contemplatione collegit ipse Tullius (Lib. II. de Nat. Deor. Cap. 39.). » Remota subtilitate di-
» sputandi oculis quodammodo contemplare pulchritu-
» dinem rerum, quas divina providentia dicimus con-
» stitutas. At principio Terra universa cernatur, lo-
» cata in media Mundi sede, solida, et globosa, et
» undique ipsa se se nutibus suis conglobata, vestita
» floribus, herbis, arboribus frugibus; quorum omnium
» incredibilis multitudo insatiabili varietate distingui-

» tur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores » perlucidos, omnium riparum vestitus viridissimos, » speluncarum concavas altitudines, saxorum asperita- » tes, impendentium montium altitudines, immensi- » tatesque camporum. Adde etiam reconditas auri, ar- » gentique venas, infinitamque vim marmoris. Quae » vero, et quam varia genera bestiarum, vel cicurum, » vel ferarum? Qui volucrum lapsus, atque cantus? » Qui pecudum pastus, quae vita sylvestrium? Quid » jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores » terrae constituti, non patiuntur, eam nec imma- » nitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate » vastari, quorumque operibus agri, insulae, litora- » que collucent distincta terris, et urbibus: quae si » ut animis, sic oculis videre possemus, nemo, cun- » ctam intuens terram, de divina ratione dubitaret; » Reticeo quae idem de Mare, aere, Coelo, Sole, Luna, atque stellis addit. Porro quis hanc Universi perpulchram; atque mirandam Machinam intuens, non statim ejus sapientissimum auctorem, Deum nempe existere percipet? Hinc apposite quidam Poeta Italus (Cotta Son. 3) cecinit.

*Nume non v' è, dicea tra se lo stolto:*
*Nume non v' é che l' Universo regga.*
*Squarci l' empio la benda, ond' egli è avvolto*
*Agli occhi infidi, e se v' ha Nume ei vegga*

*Nume non v' è? Verso del Cielo rivolto*
*Chiaro il suo inganno in tante stelle ei legga;*
*Speglisi, e impresso nel suo proprio volto*
*Ad ogni sguardo il suo Fattor rivegga.*

*Nume non v' è? De' fiumi i puri argenti*
*L' aer che spiri, il suol ove risiedi,*
*Le piante, i fior, l' erbe, le arene, i venti*

*Tutti parlan di Dio; per tutto vedi*
*Del grand' Esser di Lui segni eloquenti:*
*Credilo stolto a lor, se a te nol credi.*

## THEOREMA IV.

*Unanimis omnium Gentium, Populorumque consensus, Deum existere convincit.*

§. 19. Nam *omni in re*, ait Tullius (Lib. 1. QQ. Tusc. Cap. 13.) *consensus omnium gentium lex naturae putanda est; et de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est* (Lib. 1. de Nat. Deor. Cap. 17.); quia, ut observat Plinius (In Paneg. Trajani Cap. 62.): *nemo omnes, neminem omnes fefellerunt;* Atqui ex eodem Tullio (Lib. 1. de Leg. Cap. 18.), *nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat, adeo ut, si terras obeas*, ait ipsemet, vel Plutarchus, (contra Coloten Epicureum), *invenire possis Urbes muris, litteris, Regibus, domibus, opibus, numismate carentes; . . . . . Urbem vero templis, diisque destitutam, quae praecibus, jurejurando, oraculis non utatur; non bonorum caussa sacrificet; non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidi; sed facilius urbem sine solo condi posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata Civitatem coire, atque constare.* Ergo etc.

## PROPOSITIO.

*Ratione naturali Deum existere demonstratur.*

§. 20. *Demon.* Nam existit ens necessarium et a se (§. 246. Ont.); Sed Deus est ens necessarium, (§. 8.); Ergo existit Deus. Deinde Ens necessarium, et a se est ens infinitum (§. 264. Ont.); Atqui ens

infinitum actu existere debet (§. 297. ibi.); Ergo et ens necessarium; Adeoque etc. Ulterius propria cujusque existentia (§. 13.); humani corporis structura (§. 15.); Mundus hic adspectabilis, et omnia, quae in eo sunt (§. 17.); ac denique unanimis omnium Gentium, Populorumque consensus (§. 19.), Deum existere invictissime demonstrant; Ergo etc. Q. E. D.

## *Atheorum cavillationes exsufflantur.*

§. 21. *Objic. I.* Deus est primum Ens; Ergo ejus existentia nequit demonstrari; Adeoque etc.

§. 22. R. conc. antecedente, dist. cons.; ejus existentia nequit demonstrari *a priori*, hoc est per caussam (§. 307. Log.), conc., *a posteriori*, hoc est per effectus, n. consm utramque. Cum Deus sit primum ens, nec ulla caussa alia ipsum praecedere possit, proculdubio eius existentiam a priori demonstrare, possibile non est. Cum vero sit ipse aliorum entium contingentium caussa et origo, peroptime ab effectibus, ejus existentia demonstratur.

§. 23. *Contra.* Atqui neque a posteriori, et per effectus, Dei existentia demonstrari potest; Ergo n. r. Dei effectus sunt entia contingentia, quae existunt; Atqui ex his nequit demonstrari Dei, entis nempe necessarii existentia; Ergo etc. Prob. min. Medium demonstrationis existentiae Dei debet esse necessarium; Ergo ex his contingentibus etc.

§. 24. R. dist. ans. Medium demonstrationis etc. debet esse necessarium necessitate *rei*, seu *existentiae*, n.; necessitate *connexionis*, conc. ans; Ergo etc., n. consm. Cum entia contingentia rationem sufficientem propriae existentiae in alio habeant (§. 242. Ont.), et quidem in ente necessario (§. 251. ibi.); adeo ut ente necessario, per hypothesim non existente, ipsa nullatenus existere possent (§. 246. ib.); peroptime propterea medium demonstrationis existentiae Dei dicuntur, et sunt, ob connexionem necessariam, quae est inter ipso-

rum existentiam, et existentiam Dei; inter effectum enim et caussam connexio datur (§. 55. ibi.). Quis enim effectum aliquem videns, non illico caussam illus existere deprehendet? Ita cum omnia entia contingentia sint Dei effectus, et opera, ex ipsorum existentia, Deum eorum caussam existere perspicimus, et constantissime adfirmamus.

§. 25. *Contra.* Atqui nec medium necessarium necessitate connexionis sunt contingentia ad demonstrandam Dei existentiam; Ergo etc. Prob. subsum. Contingentia sunt opus finitum, Deus est ens infinitum. Atqui opus finitum nequit probare ens infinitum; Ergo etc.

§. 26. R. conc. maj., dist. min. Opus finitum *in se* inspectum etc., conc. min., *in modo*, quo perficitur; nego min.; Ergo etc., n. consm. Entia omnia contingentia, utique si in seipsis inspiciantur, finita sunt, atque limitata; hinc cum Deo nullam entitatis, et naturae proportionem habere possunt, alias attributa entis contingentis, attributa entis necessarii esse possent, quod omnino repugnat (§. 247. Ont.). Verum si modus inspiciatur, quo entia contingentia primo, et tota a Deo producuntur, scilicet per creationem, certe non opus finitum, sed infinitum contingentia dici possunt; Nam creatio virtutem infinitam requirit (§. 401. Ont.); quae vis cum in solo Deo reperiatur (§. 406. ibi.), proculdubio entium contingentium existentia optimum est medium demonstrationis existentiae Dei.

§. 27. *Objic. II.* Ex Universi hujus adspectabilis ordine, Deum existere demonstratur; Atqui haec demonstratio nulla est; Ergo falsa propositio. Prob. min. Universi hujus adspectabilis ordo nobis est ignotus; Ergo existentiae Dei demonstratio, quae ex eo eruitur, nulla est; adeoque etc.

§. 28. R. neg. ans. Nihil absurdius ad nostram thesim labefactandam, athei, vel atheorum fautores opponere poterant, quam fidenter adserere, nobis ordinem hujus Universi esse ignotum; quis namque est, qui vel tantillum oculos, mentemque convertat ad Coelum, et Terram, et ad ea omnia, quae mirabilem prorsus,

atque stupendam hujus Universi machinam componunt, statim non videat, omnia esse sapientissimo, miroque ordine disposita, atque compacta? « Quid potest esse tam » apertum (verbis utor Minucii Felicis in Octavio), » tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in » Coelum sustuleris, et quae sunt infra citraque lu- » straveris, quam esse aliquod Numen praestantissimae » mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, ala- » tur, gubernetur? Coelum ipsum vide quam late ten- » ditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem a- » stris distinguitur, vel quod in diem Sole lustratur; » jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira, » et Divina libratio. Vide et annum ut Solis ambitus » faciat, et mensem, vide ut Luna auctu, senio, labore » circumagat. Quid tenebrarum, et luminis dicam re- » cursantes vices, ut sit nobis operis, et quietis alterna » reparatio . . . . . Quid! cum ordo temporum ac » frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem » suum parentemque testatur! Ver aeque cum suis flori- » bus, Æstas cum suis messibus, et Autumni maturitas » grata, et Hyberna olivitas necessaria. Qui ordo fa- » cile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret . . » Mari intende; lege litoris stringitur. Respice Ocea- » num; refluit reciprocis aestibus. Vide fontes, ma- » nant venis perennibus. Fluvios intuere, eunt semper » exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta » montium, collium flexa, porrecta camporum! Quid » animantium loquar adversus se se tutelam uniformem etc. . Atque haec, et alia similia innumera, quae sunt in Mundo videndo, et contemplando, nonne perspicue cognoscet admirabilem ordinem in Universo regnare? Ita sane; concludetque ulterius, Universum ordinatissima sua dispositione, et mobilitate opus esse non potuisse, nisi entis sapientissimi, nempe Dei.

§. 29. *Contra.* Atqui revera Universi ordo nobis est incognitus; Ergo n. r. Prob. subsm. Universi ordo pendet ex relatione omnium partium inter se; Atqui haec relatio nobis incognita est; Ergo etc.

§. 30. R. dist. maj. Universi ordo etc. *generalis*, et quoad singulas Mundi partes, pendet etc., conc.;

Ordo particularis, et quoad aliquas dumtaxat partes, n. maj., et contrad. min., n. consm. Negare non possumus, ordinem hujus Mundi generalem, nobis incognitum esse; Cum namque admodum exigui simus, concessum nobis non est, relationem percipere, quam habent omnes hujus Universi partes inter se. At hoc non obstat quominus dicamur ordinem cognoscere, qui regnat in Universo. Si namque non omnium, multarum tamen rerum hujus Mundi ordinem conspicimus; Cognoscimus namque, Solem datum esse ad Universum illuminandum, fructus, herbas etc. in cibum nobis esse concessas; animalia ad varios usus esse destinata etc.

§. 31. *Contra.* Atqui etiamsi percipiamus relationem, quam in hoc Mundo habent inter se aliquae res; Adhuc tamen dici nequit, per ordinem hujus Universi, Dei existentiam demonstrari; Ergo n. r. Prob. sub. Negari nequit, permulta in hoc Universo reperiri, quae inutilia sunt, et ad nullum finem facta; nullus proinde in eis ordo conspicitur; Ergo etc.

§. 32. R. dist. ans. Negari etc., hoc est non intelligimus cuinam fini sint ordinata, conc.; ad nullam finem revera ordinata sunt; n. ans; Ergo etc., n. consm. Stulti sane etc. reliqua §. 109. Cosmologiae.

*Objectiones aliae extra formam.*

§. 33. Et I. falsum est Dei existentiam ubique gentium, et ab omnibus esse admissam; Plures namque Populi inventi sunt, atque inveniuntur, quibus nulla prorsus Dei cognitio est; Ergo etc. (*a*).

II. Idea Dei vel ab astutia Legumlatorum, vel ab ignorantia caussarum phoenomenorum naturalium; vel tandem a praejudiciis educationis originem habere potuit; Ergo etc.

---

(a) Vid. Storchenau Theol. Nat. Sect. I. pag. 26. Schol. 2.

III. Si Deus existeret, profecto esset substantia infinita, omne aliud ens excludens; Atqui plurima existunt entia, praeter Deum; Ergo etc.

IV. Si ostendi posset Dei existentia, maxime ex rebus sensibilibus ostenderetur; Sed nequit ostendi; Ergo etc. Prob. min. Res sensibiles hujus Mundi sunt corporeae; Ergo etc. Prob. consm. Quilibet effectus contineri debet in caussa sua efficiente (§. 56. Ont.); ut ergo ex rebus corporeis, tamquam ex effectibus probari posset Dei existentia, res corporeae contineri deberent in Deo; Atqui contineri non possunt in Deo, quia est ens simplicissimum; Ergo etc.

§. 34. R. ad omnes. Et ad 1. Satis ostensum est (§. 19.); totius humanae Naturae vocem esse constantem, atque uniformem, quod Deus existat. Quod vero aliquando inventi sint Barbari, et sylvestres homines, qui nullum colere Deum visi fuerint, nullamque de eo cognitionem habere, id non probat, illos fuisse atheos vere *positivos*, et *theoreticos*, sed tantum quod ideam valde confusam de Deo habuerint, atheique, ad summum negativi fuerint. Caeterum, licet vere athei in aliquibus Mundi locis admittantur, quid inde? ipsorum paucitas, et stultitia, universalem omnium gentium consensionem de Dei existentia labefactare non potest; nisi dicere etiam velimus, Solem non existere, eo quia vel caeci aliqui sunt, vel in locis, unde Solem non videant.

Ad II. Ridiculum est adserere, ideam Dei ex Legumlatorum astutia etc. ortam fuisse; idea enim Dei longe anterior est omni humana legislatione; et antequam Ligurgus, Solon, Numa Pompilius etc. fuissent in Mundo, jam Populi de Deo cognitionem habebant, et Templa, et Altaria. Sed neque ex phoenomenorum naturalium ignorantia oriri potuisset idea Dei. Si hoc enim fuisset, quanto plus homines phoenomenorum naturalium congnitionem adquisivissent, tanto plus etiam de Dei existentia male sensissent; Atqui oppositum observatur; ex cognitione enim Naturae phoenomenorum magis Dei idea illustratur, Deique existentia magis, magisque comprobatur; Ergo etc. Tandem quod idea Dei praejudicium non sit educationis, clarissime patet. Prae-

judiciorum siquidem notae hae sunt, scilicet *brevitas temporis*, *restrictio loci*, et *ignorantia*; jam vero nulla ex his in idea Dei apparet; haec namque omnibus retroactis saeculis, in hominibus viguit; et Dei existentia constanter admissa fuit: Haec per totum propagata fuit, et per totum Orbem viget; Haec tandem non a rudibus tantum, sed ab ipsis sapientissimis viris, quorum est vulgi praejudicia emendare, retenta fuit atque defensa. Si haec igitur aeducationis praejudicium fuisset, nec diu durasset; nec ubique fuisset propagata; neque a Sapientibvs recepta; Nam, *quod nisi cognitum* (ajebat Cicero Lib. II. de Nat. Deor.) *comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis, aetatibusque hominum inveterare potuisset. . . . . Opinionum enim commenta delet dies; naturae judicia confirmat.*

Ad III. Esto Deus sit substantia infinita, non tamen omnem aliam substantiam excludit, quia non est substantia corporea, quae sua extensione alias excludit substantias, sed est substantia simplicissima, et spiritualis, quae ita omnia occupat, ut entia alia non excludat.

Ad IV. tandem. Ut aliquid caussa rei alicujus dicatur, non requiritur, ut semper rem illam *formaliter* contineat, sed sufficit si contineat saltem *eminenter*, ut Scholae loquuntur (§. 58. Ont.). Licet ergo Deus sit ens simplicissimum, adhuc tamen rerum corporearum caussa dicitur, et est, quia etsi eas in se *formaliter* continere non possit, continet tamen *eminenter* (*a*).

---

(a) Alia quae contra Dei existentiam objici solent, jam soluta sunt §. 207. Ont. §. 38. et 106. Cosm. Si dicta non sufficiunt, legantur P. Odoardus del Giudice Theol. Nat. Sect. I. Cap. 1. Q. 1. Auctor Inst. Philosoph. Lugdun. P. II. Pneum: P. I. P. Tamagna Metaph. P. III. Sect. I. Storchenau Theol. nat. Sect. I. per totum.

# CAPUT II.

## *De aliquibus praecipuis Dei attributis.*

§. 35. *Def. Dei attributa dicuntur illae proprietates, quae ei competunt; quaeque ab ejus essentia Metaphysica fluere concipiuntur.*

§. 36. *Schol.* Non omnia hic Dei attributa expendemus, sed aliqua tantum praecipua, et quae humanae rationis confinia non praetergrediuntur. Hujusmodi autem sunt *Immutabilitas*, *Independentia*, *Simplicitas*; *Aeternitas*, *Infinitas*, *Sanctitas*, *Bonitas*, *Omnisscientia*, *Omnipotentia*, *Veracitas*, *Immensitas*, *Unitas*, *et Providentia*. Quae omnia distinctis propositionibus constabilire curabimus. Itaque

## PROPOSITIO I.

### *Deus est omnino immutabilis.*

§. 37. *Demon.* Nam ens mutabile est contingens (§. 239. Ont.); ens autem necessarium immutabile (§. 240. ibi.); Atqui Deus est ens necessarium; Ergo est immutabile. Deinde Deus, utpote ens necessarium, est in omni perfectionis genere perfectissimum; nihil ergo novi adquirere potest, quod ei desit; neque ex his, quas habet, realitatibus, aliquam amittere, neque pluris, vel minoris capax esse, alias neque necessarium, neque perfectissimum ens foret; Ergo etc. Q. E. D.

§. 38. *Coroll. 1.* Deus ergo semper idem est, nec modis accidentalibus subjicitur.

§. 39. *Coroll. 2.* Errant propterea quotquot cum Vorstio Calvinista, et Socinianis, asserunt, Deum in

suis decretis mutabilem esse, licet in se immutabilis sit. Propterea

§. 40. *Coroll. 3.* Quaecumque Deum mutationi obnoxium ostendere videntur, veluti quod Deum aliquando poenituerit; quod de non operante factus fuerit operans etc., haec intelligenda sunt de extrinseca exequutione eorum, quae jam ab aeterno fixa sunt, atque determinata. Hinc mutatio est quoad nos, qui videmus ea in tempore fieri, non autem in Deo, cui nihil est praeteritum, vel futurum, sed omnia actu semper praesentia sunt.

## PROPOSITIO II.

*Deus est omnino independens.*

§. 41. *Demon.* Dependere unum ab altero, est unum sine altero intelligi non posse; aut unum alio indigere, sive in essendo, sive in operando; Atqui Deus est ens necessarium, et a se, quod nempe nullo indiget alio sive ut existat, sive ut operetur (§. 242. Ont.), omnia vero alia entia, utpote contingentia, in ipso rationem habent sufficientem propriae existentiae, et ab ipso dependent, ut vivant, et conserventur; (§. 251. ibi.); Ergo etc.

## PROPOSITIO III.

*Deus est substantia simplex, et spiritualis.*

§. 42. *Demon.* I. P. Nam triplicem compositionem agnoscunt Philosophi; *Physicam* nempe, *Metaphy-*

*sicam*, et *Logicam*. Et primam quidem importare aiunt, partes inter se distinctas et separatas; secundam partes importare quidem inter se distinctas, non tamen separabiles, ut ens quodlibet existens, quod constat essentia, et existentia. Tertiam tandem, compositionem dicere ex genere, et differentia adfirmant; Atqui nulla ex his compositionibus in Deo reperitur; Ergo etc. Et sane: Deus est ens necessarium; Atqui ens necessarium simplicissimum esse debet (§. 282. Ont.); Ergo Deus caret physica compositione. Ulterius: in Deo essentia idem est ac existentia (§. 243. ibi,), alias non esset ens a se; ergo in eo Metaphysica compositio locum non habet. Tandem inter Deum et creaturas adest distantia infinita; Ergo exulat ab eo compositio Logica, et consequenter Deus est substantia penitus simplex, omni carens compositione. Q. E. D.

§. 43. *Demon.* II. P. Substantia propric dicta spiritualis est illa, quae intellectu, et voluntate gaudet (§. 361. Ont.); Atqui talis est Deus; Ergo etc. Prob. min.; Caussa efficiens hujus Mundi sapientissima esse debuit (§. 24. Cosm.); Sed ens necessarium, Deus nempe, est caussa hujus Mundi (§. 37. ibi); Ergo est sapientissimum; Atqui nequit concipi caussa sapientissima, quin etiam intellectu, et voluntate perfectissima praedita sit; Ergo etc. Adeoque etc. Q. E. D.

§. 44. *Coroll.* 1. Humana ergo membra nonnisi metaphorice, atque improprie Deo tribuuntur. Quare

§. 45. *Coroll.* 2. Somnia narrat Benedictus Spinoza cum omnibus Pantheistis, dum asserere non veretur, Mundum a Deo per essentialem emanationem fuisse ortum; quod jam refutavimus (§. 35. Cosm.); omniaque corpora, et mentes esse necessarias Dei modificationes. Falluntur quoque Antropomophitae, et cum his Hobbes, qui Deo corpus humanum, imaginem, atque formam tribuebant. Hinc

§. 46. *Coroll.* 3. Deus oculis corporeis videri nequit.

# PROPOSITIO IV.

*Deus est aeternus.*

§. 47. *Demon.* Nam aeternum dicitur, quod initio caret, et fine ( §. 395. Ont. ); Atqui talis est Deus. Ergo etc. Prob. min. Si Deus non esset aeternus, initium aliquando habuisset, et finem foret habiturus; esset proinde ab alio, contingens, dependens, atque mutabilis; quippe de non existente factus fuisset existens, et de existente in nihilum transire posset; Atqui Deus est ens a se, et necessarium; immutabile ( §. 37. ), et independens ( §. 41. ); Ergo etc. Tandem Deus est substantia simplicissima, et spiritualis ( §. 41. ); Ergo si non esset aeternus, debuisset habere ortum ab alio ente necessario ( §. 413. Ont. ), per creationem ( §. 414. ibi ); Sed ens necessarium unum nonnisi esse potest, est quippe ens infinitum ( §. 294. ibi. ); et repugnat dari duo vel plura entia absolute infinita ( §. 300. ibi. ); Ergo nullum est hujusmodi ens, quod Deo existentiam dare potuisset; Adeoque Deus est aeternus etc. Q. E. D.

§. 48. *Coroll.* Deus ergo sicuti principium habere non potuit, ita nec finem habere poterit; est namque aeternum tam a *parte ante*, quam a *parte post* ( §. 396. Ont. ). Deus itaque omnimoda gaudet immortalitate; intrinseca nempe, et extrinseca ( §. 61. Psych. ).

# PROPOSITIO V.

*Deus est ens in omni genere perfectionum infinitum.*

§. 49. *Demon.* Nam Ens necessarium est ens infinitum ( §. 294. Ont. ); Sed Deus est ens necessarium;

Ergo est ens infinitum. Deinde si Deus ens infinitum in omni genere perfectionum non esset, perfectiones, quas habet, limitatas haberet, quae proinde augeri, minuique possent; esset propterea ens mutabile; Atque dependens; Atqui Deus immutabilis est; (§. 37.); et independens (§. 41.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 50. *Coroll. 1.* In Deo itaque omnia perfectissima sunt; hinc intellectus perfectissimus, et infinitus, qui propterea omnia possibilia sibi simul, et adaequatissime, unicoque actu repraesentat; nec non perfectissima voluntas, libertate infinita, et perfectissima donata. Quare

§. 51. *Coroll. 2.* Nulla quantumvis minima imperfectio in Deo reperiri potest; Atque ex hoc Deus est Sanctissimus, et infinite bonus, imo ipsa Bonitas per essentiam.

## PROPOSITIO VI.

### *Deus est Omniscius.*

§. 52. *Demon.* Omniscientia dicitur a Philosophis perfecta cognitio rerum omnium sive possibilium; sive praeteritarum, sive existentium, sive futurarum; Atqui talis perfectio inest Deo; Ergo etc. Prob. min. Deus gaudet intellectu perfectissimo (§. 50.); Adeoque omnia sibi distinctissime repraesentat; nihil igitur esse potest, quod ipsum lateat, et ab ipso non cognoscatur; Ergo etc. Ulterius si Deus non esset omniscius, non esset ens in omni genere perfectionum infinitus, non esset immutabilis, quia ejus scientia esset limitata et augmenti capax; Atqui hoc est falsissimum (§. 37.); Ergo etc. Q. E. D.

# PROPOSITIO VII.

*Deus est omnipotens.*

§. 53. *Demon. Omnipotentia est potentia iis omnibus existentium largiendi, quae contradictionem non implicant*; Atqui talem potentiam hab t Deus; Ergo etc. Prob. min. Ad existentiam rebus possibilibus largiendam virtus infinita requiritur ( §. 401. Ont. ); Sed Deus, quia infinite perfectus, vim habet infinitam; Ergo etc. Deinde omnia contingentia, quae existunt, antequam crearentur, in statu erant purae possibilitatis; et tamen ea Deus, infinita sua virtute ad existentiam perduxit ( §. 37. Cosm. ); Ergo et alia quoque possibilia, quoties ei placuerit, existentia efficere poterit. Tandem, si Deus non esset omnipotens, id eveniret, vel quia media nesciret rebus possibilibus existentiam largiendi; vel quia posset ab alio aliquo impediri; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia omniscius ( §. 52. ); non secundum, quia independens ( §. 41. ); Ergo etc. Q. E. D.

# PROPOSITIO VIII.

*Deus est summe, atque infinite verax.*

§. 54. *Demon.* Nam si Deus non esset talis, mentiri posset; Sed mentiri nequit: Ergo etc. Prob. min. Mendacium vel oritur ex infirmitate naturae, vel ex ignorantia, vel ex malitia; Atqui Deus ex infirmitate naturae mentiri nequit quia Omnipotens ( §. 53. ), et a nullo dependens ( §. 41. ); Neque potest ex ignorantia, quia

omniscius (§. 30.); neque tandem ex malitia, quia bonus, et sanctissimus est (§. 51.); Ergo etc. Tandem veracitas perfectio est, mendacium imperfectio; Atqui Deus omni caret imperfectione (§. eod.), quia est eus infinite perfectum (§. 49.); Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO IX.

*Deus est vere, proprieque immensus.*

§. 55. *Demon.* Nam immensus hic dicitur, qui ubique est per *scientiam*, qua nihil ignorat, per *potentiam*, qua potest ubique operari, per *essentiam* tandem, qua ubique existit; Atqui talis est Deus; Ergo etc. Prob. min. Deus est Omniscius (§. 52.); Ergo ubique est praesens per suam scientiam; Deinde Deus est Omnipotens (§. 53.); Ergo ubique potest operare; tandem Deus est Substantia spiritualis (§. 43.), est infinitus (§. 49.), et immutabilis (§. 37.); Ergo est immensus, alias foret limitatus, mutabilis, quia nempe transire deberet de loco in locum; hinc contingens, quod repugnat. Adeoque etc. Q. E. D.

## CAPUT III.

*De unitate Dei.*

§. 56. *Animad.* Qui unum Deum admittunt, et colunt *Monothei* dicuntur, *Polythei* vero, qui plures. Ac inter Polytheos, qui duos tantum Deus cognoscunt dicuntur *Dualistae*, qui vero plurimos, eosque sculptis etiam imaginibus exprimunt, *Idololatrae*. De his porro sequentes sunt

*Auctorum sententiae.*

§. 57. Quidquid sit de Idololatriae origine, atque progressu, de quo plura Auctores non pauci (utinam et accurata, et indubia!) scripserunt, negari nequit eam antiquissimam esse, atque toto Orbe terrarum videri, adeo longe lateque diffusam, ut vel ipsos Judaeos unici, et veri Dei cultores, non sine admiratione saepius invaserit. Ante praesertim Christi Domini adventum in hunc Mundum, adeo ingens erat Deorum numerus, ut Hesiodus Poeta vetustissimus, teste Eusebio (Lib. V. de Praep. Evang. Cap. 16.) triginta Deorum millia enumeret. Nec mirum, cum liberum adeo cuique tunc fuerit, sibi fingere Deum, ut *non Provinciis modo*, scribit Coelius Rodiginus (Lib. XXII. Lect. Antiq. C. 3), *sed et suum esset cuique Civitati Deus.* An autem revera plurimos esse Deos, omnes Idololatrae fuerint persuasi, dissident Eruditi. Esto tamen oborta Evangelica luce, et per totum Orbem diffusa, tenebrosus hic Idololatriae error abire sit coactus, non defuerunt tamen tenebrarum filii, qui tenebras potius, quam lucem diligentes, veteri errori aut in toto, aut ex parte adhaeserunt. Et quidem inter Polytheos, Gnostici merito numerantur. Hi namque Deorum, quos *Æonas*, vocabant, conjugationes in Deitate fingebant, minoresque 369. Ex hoc Valentinus, Valentinianae haeresis auctor, 30. *Æonas*, quindecim masculos, et quindecim foeminas confinxit. Post hos Cerdon et Marcion errorem de duobus principiis, uno bono, et bonorum, ac invisibilium rerum auctore, altero malo, et malorum, visibiliumque rerum auctore invexerunt, quibus adhaesit Appelles; et circa annum 277. etiam Cubricus Persa, vulgari nomine *Manes*, ex quo pestifera, atque impiissima Manichaeorum haeresis ortum duxit; cui saeculo VIII. subscripserunt *Albanenses*, et saeculo XII. *Albigenses*. Nos praedictorum errores, ut par est, ex animo exse-

crantes, quae rectae rationi, et communi hominum sensui consona sunt, solidis argumentis stabiliemus.

§. 58. *Def. Principium summe malum, seu alter Deus*, in Manichaeorum sententia, *illud est ens a se existens, quod nihil boni in se habet; nihilque boni extra se operatur; sed tantum malorum omnium, quae in Mundo sunt, est auctor.*

## PROPOSITIO I.

*Polytheismus, qualis fuit, et est apud idololatras, atque gentiles ridiculum est, putidumque commentum.*

§. 59. *Demon.* Deus est ens necessarium, et a se, immutabile, independens, aeternum; uno verbo perfectissimum in omni genere perfectionis. Jam vero Idololatrae habent, et colunt ut Deos, viros, et foeminas, simulacra aurea, et argentea, lapidea, et lignea; opera manuum hominum; insuper animalia quadrupedia, et volatilia; et plerique ex ipsis etiam herbas, et plantas; uno verbo, entia contingentia; hinc facta, finitae perfectionis, materialia, dependentia etc., quibus idea ipsa Divinitatis omnino repugnat; Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO II.

*Plures dari Deos omnino impossibile est.*

§. 60. *Demon.* Nam Deus est infinitus in omni genere perfectionis (§. 49.); Atqui repugnat omnino dari duo, vel plura entia absolute infinita (§. 300. Ont.); Ergo etc. Praeterea, si plures essent Dii, isti vel a se

mutuo penderent sive in existendo sive in operando, vel non; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia tunc non essent Dii, utpote ab alio, et dependentes; non secundum, quia tunc, cum singuli habeant sibi aequalem, nullumque eorum haberet omnes perfectiones, nullus eorum esset ens quo majus, aut perfectius excogitari non potest; qui enim habet aequalem, omnium maximus dici nequit; Ergo etc. Rursus si possibile forent plures Dii, possibiles quoque forent infiniti Dii; nam dato alio possibili Deo, praeter unum, darentur infiniti alii Dii possibiles, et quoniam in Deo, ente nempe necessario, essentia et existentia sunt unum, et idem; statim in altero Deus concipitur possibilis, concipi etiam debet realiter existens (§. 229. ibi) si infiniti Dii essent possibiles, infiniti quoque Dii actu existunt. Atqui nihil absurdius et repugnans fingi potest; Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO III.

*Duos Deos, quorum alter summe bonus alter summe malus sit existere, omnino repugnat.*

§. 61. *Demon.* Nam Deus, ens nempe necessarium et a se etc. est infinite bonus, immo ipsa Bonitas per essentiam (§. 51.); Ergo repugnat quod existat Deus summe malus. Deinde si duo Dii existerent, vel essent ejusdem potentiae, vel non; si primum jam nec bona, nec mala fierent in Mundo, non bona, quia impedirentur a Deo malo; non mala; quia fieri impedirentur a Deo bono; et hoc in casu neuter ipsorum esset Deus, quippe uterque frustraretur effectu suo, otiosique manerent, si secundum, vel neuter habet omnipotentiam, et non est Deus, vel unus est Deus, alter nequaquam. Adeoque etc. Q. E. D.

# PROPOSITIO IV.

*Deus est unicus.*

§. 62. *Demon.* Nam Polytheismus est purum putidumque commentum ( §. 59. ) ; Repugnat omnino dari plures Deos ( §. 60. ) ; et nequidem duo dari possunt ( §. 61. ) ; Ergo etc. Q. E. D.

*Satisfit adversariorum sophismatibus.*

§. 63. *Objic. I.* Pro Polytheis. Non repugnat Polytheismus ; Ergo plures esse Deos non repugnat : Adeoque falsa propositio.

§. 64. R. neg. ans. Miramur sane, quosdam eo insaniae devenisse, ut asserere audeant, Polytheismum non repugnare. Tot namque, et tam evidentia sunt argumenta, quibus ostenditur Polytheismum rectae rationi penitus adversari, atque ridiculum esse, putidumque commentum ; ut coecutire in meridiana luce dixeris, oppositum effutientes. Et sane, Deus est ens necessarium etc. §. 59.

§. 65. *Contra.* Atqui Polytheismus non repugnat ; Ergo etc. Prob. subsm. Si repugnaret Polytheismus, a tam remota antiquitate non fuisset receptus, ut primam hominum Religionem efformaverit ; Atqui res ita se habet ; Ergo etc.

§. 66. R. adm. maj. n. min., et consm. Quid non molitur humana malitia, quoties homines a recta ratione abberrantes, veritatem odio habent, diliguntque mendacium ! En Mirabaud, et David Hume, qui impudenti audacia suadere conantur, primam hominum Religionem fuisse Polytheismum. Undenam enim tam falsam, atque impiam sententiam hauserunt? quibus ma-

gistris, quibus ducibus nisi sunt ad illam nanciscendam? Si Moysis libros legissent, cognovissent proculdubio, primam hominum Religionem fuisse unici Dei cultum. Haec fuit Religio primi hominis; Haec Cain, Abel, Seth filiorum ejus; Haec Henoch, Noe, Melchisedech Regis Salem, Jetro Madianitae Religio fuit. Antiquitas itaque Polytheismi nec tollit ejus absurditatem, nec probat ipsum prò prima Religione inservisse, sed tantum ab antiquis usque temporibus, humanum intellectum erroribus fuisse obnoxium.

§. 67. *Contra.* Atqui ex quo Polytheismus fuit ab antiquis temporibus receptus, plane conficitur, ipsum non repugnare; Ergo n. r. Prob. subsm. Quod universaliter profitetur, et penes omnes Nationes dominatur, id nonnisi verum, et rationi consonum esse potest; *de quo enim*, ait Tullius (Lib. 1. de Nat. Deor. Cap. 17.) *omnium natura consentit, id verum esse necesse est;* Atqui Polytheismus, ante Christi adventum universaliter, et apud omnes gentes dominabatur; Ergo etc.

§. 68. R. admissa maj. n. min., et consm. Licet ante Christi adventum Polytheismus toto Orbe terrarum longè, lateque propagatus videretur, ut Mundus plenus esset idolis: putandum tamen non est, gentes omnes revera credidisse, quos colebant, veros esse Deos, quinimo tenendum est, non solum Doctos, et Eruditos unum Deum cognovisse, sed et vulgus ipsum. Sane de Chaldeis scribit Stanlejus (Hist. Phil. Orient.): *Unicum rerum omnium* principium a se existens, atque *bonitatis, et sapientiae plenum*, agnovisse. De Persis, refert Eusebius (Praep. Evang. lib. 1.), ipsos ex doctrina Zoroastri: *Ens primum immortale sine socio, aut aequali*, cognovisse. De Graecis scribit S. Cyrillus, (Lib. 1. contra Julianum); eos, unum esse Deum universi conditionem, et natura omnes superantem, putavisse; hinc narrat Eusebius; (Praep. Evang. Lib. 13. Cap. 13.) Sophoclen Poetam vel in ipso Atheniensi theatro cecinisse.

*Unus profecto est; unus est tantum Deus.*

Et sic de aliis Nationibus scribunt alii, ut merito dixerit Maximus Tirius ( dist. 1. ): *In hac tanta* ( quoad res alias ) *pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, regem omnium, et patrem.* At dices: si unum Deum verum cognoscebant, cur tam multos venerabantur? Quia *huic*, sequitur ipsemet, *multos additos esse Deos alios* ( opinio popularis erat ), *qui supremi illius filii sint, et quasi in imperio collegae. In eo Graecus cum Barbaro, Mediterraneus cum Insulano, sapiens consentit cum stulto.* Revera observat Lactantius ( Lib.II. De Divin. nat. Cap. 1. ), quod esto Ethnici plures Deos admittere, communiter viderentur, *cum jurant*, tamen; *et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, ab invitis pectoribus erumpit.* Ergo etc.

§. 69. *Objic. II.* Pro Manichaeis. In Mundo sunt bona et mala; Atqui haec produci non possunt ab unico, eodemque principio, bono; Ergo bona a principio bono; mala vero a principio malo producuntur; Adeoque etc.

§. 70. R. conc. maj. dist. min. Produci non possunt ab unico principio *effective* ea singula producente, conc., singula sive producente, sive permittente, n. min.; Ergo etc., n. utramque consequentiam. Cum Deus sit infinite bonus, immo ipsa bonitas per essentiam, proculdubio ipse mali, sicuti et boni caussa effectrix esse nequit. Dum ergo asserimus sub unico Deo, et quidem bono, bona et mala locum habere, hoc intelligere volumus, nempe bona a Deo, tamquam a vera caussa efficiente produci; mala vero solum a Deo permitti; et hoc quidem bonum esse. Nam non *sinerentur* ( ait S. Aug. in Enc. Cap. 96. ) *mala ab omnipotenti bono fieri, nisi hoc esset bonum, ut ea essent.*

§. 71. *Contra.* Atqui mala a principio bono, etiam permittente, fieri nequeunt in Mundo ; Ergo n. r. Prob. subsm. Principium quod est summe bonum , omne prorsus malum excludit ; omne namque malum cum summa bonitate pugnat ; ergo mala a principio bono etiam permittente fluere non possunt.

§. 72. R. dist. ans. Principium in se summe bonum excludit omne malum a se ; conc. ; a creatura , n. ans ; Ergo etc. n. consm. Principium , quod in se , et natura sua est bonum , omne malum a se necessario excludere debet , alias esset , et non esset eodem in tempore bonum infinite , quod repugnat ; esset quidem; ut supponitur , non esset vero , quia aliquid mali inveniretur in eo. Non sic autem a creatura; Principium namque summe bonum , non communicat creaturae omnes suae infinitae bonitatis effectus ; sed et nequidem ipsae eos recipere possunt ; quippe cum sint finitae , nonnisi finitos divinae bonitatis effectus recipere possunt. Ex quo itaque omne malum , principium summe bonum, a creaturis non avertat , non sequitur , mala ab ipso , nec etiam permittente fluere posse.

§. 73. *Contra.* Atqui Principium in se summe bonum excludit omne malum , non solum a se , sed etiam a creaturis ; Ergo n. r. Prob. subsm. Principium in se summe bonum amat creaturas ; Sed hoc stare non potest cum malis in creatura ; Ergo etc.

§. 74. R. conc. maj. n. min. , et consm. Triplicis generis distinguuntur mala , quae sunt in creaturis ; nempe *Metaphysicum* , consistens in deficientia ab infinita perfectione ; *physicum* respiciens animi corporisque dolores ; et *morale* , nempe divinae legis transgressio , sive peccatum. Porro malum metaphysicum nequit tolli a creaturis ; ut enim tolleretur , deberet Deus suam naturam , infinitasque , quas habet , perfectiones creaturis communicare , quod intrinsecus repugnat. Malum morale potest Deus tollere , at non tollit, quia cum malum morale oriatur ex hominis infirmitate , et ex abusu libertatis , ut tolleretur , deberet Deus vel homini vim infinitam dare , ut non posset a rectitudine recedere , quod esse nequit ; vel ab eo libertatem auferre,

quod certe non vult. Malum tandem physicum est effectus tam mali metaphysici, nempe infirmitatis naturae humanae finitae, et limitatae, tam mali moralis; et hoc quidem malum, licet Deus tollere posset, non tollit, neque tollere vult propter bona spiritualia, quae ex hujus vitae calamitatibus, et poenis hominibus obveniunt; poenae namque istae; ait S. Augustinus, *aut puniunt propter peccata, aut utiliter exercent propter patientiam.* Quare ex horum malorum permissione, Dei summi boni potius amor in homines, quam odium eruitur: Scriptum est enim (Apoc. Cap. III. v. 19.): *Ego quos amo arguo et castigo.*

*Objectiones aliae extra Scholae methodum.*

§. 75. Et I. Peccatum est summum malum; Ergo non oritur a principio summe bono, sed a principio malo; Adeoque dantur duo Principia.

II. Pater qui potest a Filio repellere grave aliquod malum, et non repellit, non bonus, sed crudelis est: Atqui Deus cum posset mala a creaturis repellere, non repellit; Ergo Deus crudelis, et malus est; Adeoque duo sunt Dii.

III. In Divinis, quod melius est, admittatur oportet; Atqui melius est esse plura entia infinite perfecta, quam unum; Ergo etc.

IV. Tandem. In Dei natura plures, et diversae perfectiones admitti debent; Sed plures, et diversae illae perfectiones plura entia infinita constituere debent; Ergo etc.; Adeoque etc.

§. 76. R. Ad singulas. Et ad I. Neque a Principio summe bono, neque a Principio summo malo peccati origo repetenda est, sed a voluntate humana, quae libero arbitrio sibi a Deo concesso abutitur; Deique legem violat.

Ad II. Ideo tenetur Pater a Filio grave malum repellere, et aliter faciens, non bonus, sed crudelis, et malus esset, quia ratione sui muneris tenetur, ex lege

filio suo prodesse, quantum potest. Deo autem nulla est lex, quae eum cogat ad malum ab homine auferendum; lex enim ista, si qua foret, vel esset lex dilectionis erga seipsum; vel dilectionis erga suas creaturas; Sed neutra est; non prima, quia hominis peccato nihil Deo detrahitur; non secunda, quia amor ille non postulat, ut quidquid ipse potest boni, iis conferat; Ergo etc.

Ad III. In Deo utique quod melius est admittatur oportet, sed quod Deo non repugnat. Jam vero est absolute repugnans, ut dentur plura entia absolute perfecta (§. 300. Ont.); Ergo etc.

Ad IV. tandem. Plures illae, et diversae perfectiones, quae in Dei natura admittuntur, et sunt, non diversam, et multiplicem, sed unam eamdemque habent naturam; hinc unum et idem quoque habent existentiae principium; Nam quidquid in Deo est, immutabiliter, et per essentiam existit; Igitur plures illae, et diversae perfectiones in Dei natura plura entia infinita non constituunt; Adeoque etc.

## CAPUT IV.

### *De Divina Providentia.*

§. 77. *Def.* Rei alicujus curam gerere, eamque ad certum, et proportionatum finem dirigere, dicitur *providere*. *Providentia itaque est Dei proprietas, seu attributum, quo res a se conditas conservat, ad earum operationes concurrit, atque sapienter gubernat, ad proprios uniuscujusque fines dirigendo*; eaque duplex est *generalis*, si entia omnia in genere respicit; *specialis* vero si aliquas entium species, modo peculiari spectat.

§. 78. *Coroll.* Actus itaque Divinae providentiae triplex est; scilicet 1. *conservatio*; 2. *concursus*; et 3. *gubernatio*.

§. 79. *Def. Conservatio est illa Dei voluntatis actio, qua conceditur creaturis continuata existentia*;

Fit nempe, ne creaturae, quae jam existunt, abeant in nihilum, et hoc sensu conservatio dici solet, *continuata creatio.*

§. 80. *Def. 3. Concursus hic, est Divinae voluntatis actio, in qua aliqua ratio sufficiens continetur, cur creaturae actiones suas exerceant.*

§. 81. *Def. 4. Gubernatio est directio mediorum, et actionum ad certum aliquem finem.*

§. 82. *Coroll.* Dei ergo universalis Providentia apparebit si demonstrabitur, ipsum res omnes a se conditas conservare; ad earum actiones concurrere; easque sapienter gubernare. Sed potest ne id ita demonstrari, ut asserere tuto possimus, dari Providentiam in Deo? variae sunt

*Philosophorum sententiae.*

§. 83. Omnes illi qui Atheismo nomen dederunt, omnem quoque a Mundo Providentiam sustulerunt (§. 12.) His accensendi sunt, qui materiam aeternam (§. 32. Cosm.); Mundumque aeternum esse (§. 11. ibi:), aut ex fortuito atomorum concursu factum affirmant; nec non Pantheisae omnes, et Fatalistae. Quorum omnium caussam agens Lucretius ita se explicat (Lib. 1. v. 57.).

*Omnis enim per se Divum natura necesse est*
*Immortali aevo summa cum pace fruatur*
*Semota a nostris rebus, sejunctaque longe;*
*Nam privata dolore omni, privata periclis,*
*Ipsa sui pollens opibus, nihil indiga nostri,*
*Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

Utinam vero et antiquorum impiorum adversus Divinam Providentiam voces, nostris etiam hisce temporibus non audirentur! At quidem audiuntur, qui repetere non verentur, quod olim scelesti homines apud S. Job. effutiebant (Cap. XXII.): *Quid novit Deus, et quasi per caliginem judicat! Nubes latibulum ejus,*

*nec nostra considerat, et circa cardines Coeli perambulat.* Erroris hujus acerrimus defensor Petrus Baylius non immerito reputatur. Nec defuerunt, qui licet Providentiam in Deo negare ausi non fuerint, eam tamen ad omnia se extendere inficiati sunt. Inter Recensiores hujus impietatis asseclas recensetur Rousseau, qui asserere non dubitavit ( Lett. a M. de Voltaire ), Divinam Providentiam respicere solum genera, et species, non autem individua. Contra quos, pro Divina universali Providentia, stant omnes alii; cum quibus et nos

## THEOREMA I.

*Deus voluntatis suae actu Creaturas omnes conservat.*

§. 84. *Demon.* Nam creaturae omnes sunt entia contingentia, praeter enim ens necessarium, omnia alia entia sunt contingentia ( §. 300. Ont. ); hinc rationem sufficientem propriae existentiae in alio habent ( §. 242. ibi. ); in ente nempe necessario ( §. 251. ibi. ); singulis ergo momentis, non propria virtute exstunt, sed illius virtute, in quo ratio sufficiens cur existant potius, quam non existant continetur; hoc est virtute ejus, a quo actualem existentiam in primo momento acceperunt; Atqui is est Deus, ens necessarium, et a se; Igitur omnes creaturae solius Dei virtute, seu voluntate singulis momentis existere perseverant; Adeoque etc. Q. E. D.

# THEOREMA II.

*Deus ad omnes creaturarum actiones concurrit.*

§. 85. *Demon.* Nam sublata conservatione (§. 79.), creaturae existere non possent, quare in nihilum abirent; quo in statu agere nequeunt; Ut ergo agere possint, eorum conservatio necessaria est; In conservatione igitur *ratio aliqua* sufficiens continetur, cur creaturae suas exerceant actiones; Atqui creaturarum omnium conservatio est actio voluntatis Dei (§. 84.); Igitur quando creaturae actiones suas exercent, Deus, eas conservando, aliquam pariter actionem, voluntate sua exercet, in qua ratio aliqua sufficiens continetur, cur hae easdem actiones efficiant. Adeoque etc.

§. 86. *Animad.* Diximus mox, *in qua ratio aliqua sufficiens continetur.* Tota enim, atque integra ratio sufficiens creaturarum, non in sola hac Dei operatione continetur; secus enim omnes omnino creaturae active, ut singulis instantibus a Deo conservantur, ita quoque singulis instantibus agere deberent, quod tamen aperte falsum est? saltem ubi agitur de caussis liberis: bene vero partim in ea, partim in viribus activis earundem creaturarum, taliumque virium exercitium.

# THEOREMA III.

*Deus Creaturas omnes sapientissime gubernat.*

§. 87. *Demon.* Nam Mundus hic, quem incolimus est a Deo conditus (§. 37. Cosm.); et quidem ob aliquem finem (§. 100. ibi.), propter bonum nempe aliquod nondum possessum (§. 102. ibi), scilicet

externam manifestionem suae gloriae; suorumque attributorum; et medium, quo talem finem suum Deus consequitur, est ipsummet Universum; Deus ergo universo utitur tamquam medio ad finem suum hunc, in ejus creatione sibi praefixum consequendum; adeoque ipsum ad eum finem dirigit; Atqui per Universum intelligimus systema entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum invicem connexorum (§. 6. ibi.). Si ergo Deus Universum dirigit ad hujusmodi finem suum consequendum, consequens inde est, quod ad eumdem finam dirigat quoque omnia entia creata, tam nempe permanentia, et simultanea, quam fluentia, et successiva; adeoque revera gubernet. Cumque ea dirigat ad finem optimum, et quidem sapientissime, plane conficitur; Quod Deus etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO I.

*Datur in Deo rerum omnium creaturarum Provvidentia.*

§. 88. *Demon.* Nam Deus res omnes creatas conservat (§. 84.); ad omnes earum actiones concurrit (§. 85.); atque tandem sapientissime gubernat (§. 87.); Sed in hoc ejus Providentia consistit (§. 77.); Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO II.

*Datur in Deo specialis Prsvidentia erga entia intellectu, et voluntate praedita.*

§. 89. *Demon.* Nam talia entia ipse, peculiari modo efformavit, quels suae perfectiones, atque gloria

manifestarentur; ut nempe ipsum cognoscerent, atque diligerent, insuper ad bonum direxit; et veram et nunquam amittendam felicitatem destinavit; hinc leges morales pro ipsis, aliaque media, ad hoc, ipsis constitur; Igitur etc.

*Adversarii divinae providentiae audiuntur, et refutantur.*

§. 90. *Objic. I.* Homo in suis actionibus est liber; Ergo suarum actionum vere est dominus; Ergo potest agere absque divina directione, et Providentia.

§. 91. R. conc. anti; dist. 1. cons., est dominus etc. dependenter a Deo, conc., independenter, n. utramque consm. Utique homo, utpote libertate praeditus, suarum actionum est dominus; at semper cum dependentia a Deo. Cum namque ipse sit ens contingens, et per hoc a Deo dependens, a quo existentiam per creationem obtinuit, etiam quia in statu contingentiae persistit, a Deo dependere debet, ut existens perseveret; alias in nihilum abiret (§. 79.).

§. 92. *Contra.* Atqui homo est vere dominus suarum actionum, ita ut eas efficiat absque dependentia a Deo; Ergo n. r. Prob. snbsm. Si homo in suis actionibus peragendis a Deo penderet, peccata quae patraret, non tam ab ipso, quam a Deo committerentur; Atqui peccata soli homini imputantur; Ergo etc.

§. 93. R. n. maj. Ex quo homo ratione suae contingentiae debeat in suis actionibus a Deo dependere, non inde sequitur, ejus peccata a Deo etiam committi. Nam cum Deus homini suam praestat conservationem, ut agere possit, non ideo ut peccet eam illi praestat, sed ut existens perseveret, et in nihilum non abeat; quod si homo peccat, id ideo est, quia infirmitate circumdatus, et ad malum pronus ab adolescentia sua, libertate abutitur, et Dei legem trasgreditur. Solus itaque homo dicitur, et est auctor peccati.

§. 94. *Contra.* Atqui si homo in suis actionibus a Deo penderet, peccata, quae patraret, non tam ab ipso, quam a Deo committerentur; Ergo n. r.

Supposita Divina Providentia, homo sine dependentia a Deo, sicuti vivere non posset, ita nec agere, et consequenter peccare; Ergo Deus, sicuti actione sua concurreret ad hominis vitam conservandam, et ad illius actiones perficiendas, ita concurreret ad ponendum peccatum; Adeoque etc.

§. 95. R. conc. anti, dist. 1. cons. Deus etc. eodem nempe modo; hoc est sicuti tamquam caussa efficiens concurreret ad hominis vitam conservandam, et actiones illius perficiendas, ita etiam concurreret ad ponendum peccatum, nego; diverso, conc., et n. alteram consm. In qualibet hominis actione mala, sedulo est distinguendum *physicum* ab eo, quod est *morale*; physicum, nempe actio ipsa; morale, nempe moralis malitia, quae est in ipsa actione, seu deficientia ipsius actionis a debita cum morum legibus conformatione. Porro Deus actione sua concurrit ad physicam actionem, quae in seipsa bona est, non autem ad malitiam moralem, quae eidem inest actioni. Quare Deus, nec eodem modo, ad vitam hominis conservandam, et ad hominis actiones perficiendas concurrit, sed plane diverso. In eo quod in actionibus physicum est, ut caussa efficiens concurrit, non sic autem ad peccatum, ad malitiam scilicet moralem quae in hominum actionibus reperitur, sed ad summum permissive se habet.

§. 66. *Objic. II.* Si Deus creaturis omnibus provideret, nihil mali esset in hoc Mundo, nihilque inordinatum, sed omnia homini, utilia, et ad optimos fines a Deo directa; Atqui multa mala, veluti pestes venena, tempestates, terremotus sunt etc. in Mundo. Ergo falsa propositio.

§. 97. R. admitt. maj., dist. min. Atqui etc. et aliunde mala quae sunt in Mundo, sunt mala si seorsim inspiciantur, conc., si cum relatione ad alias Mundi partes considerentur, n. min., et consm. Mala quae sunt in hoc Mundo; uti pestes, venena etc., si seorsim considerentur, utique mala sunt; etc. (*alia prout sequuntur* (§. 113. Cosm.).

§. 98. *Contra.* Atqui mala, quae sunt in hoc Mundo, etiam relate ad alias Mundi partes mala sunt;

Ergo n. s. Prob. subsm. Mala quae sunt in Mundo, hominibus nocent, ipsosque infelices reddunt; Sed homines nobiliores sunt, atque praestantiores aliis Mundi partibus; Ergo mala etc.

§. 99. R. dist. maj. Mala etc. hominibus nocent etc., qui nesciunt, vel renuunt malis per patientiam bene uti ad bona meliora, et inamisibilia adquirenda, conc., secus n. maj., admitto min., et n. consm. Mala quaecumque sint, esto nata videantur ad hominem perdendum, vel saltem infelicem reddendum, non pro omnibus tamen talia sunt, sed pro illis dumtaxat, qui felicitatem omnem in bonis et voluptatibus praesentis vitae, Epicureorum more, constituunt. Nam omnes illi, quibus persuasum est, praesentem hominis vitam esse *militiam* super terram, veramque felicitatem non esse hic expectandam, sed in altera vita; hi profecto mala, quibus in hoc Mundo premuntur, non solum ut mala non considerant, atque aversantur; sed veluti bona propriis spiritualibus profectibus procurandis idonea, alacri animo sustinent, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem, spes autem non confundit (§. Rom. II. C. V.); unde, etiamsi malis undique opprimantur, animo non deficiunt, neque contristantur juxta illud (§. Prov. XII. 21.): *Non contristabit justum quidquid acciderit ei.*

§. 100. *Contra.* Atqui esto mala hujus Mundi solis illis hominibus noceant, qui nolint iis uti ad bonum faciendum; adhuc tamen, illis, Dei Providentia tollitur; Ergo a capite argm. Prob. subsm. De ratione entis infiniti boni, et providentis est, ut mala a creaturis suis repellat; Atqui Deus est infinitae bonus: Ergo ejus est, mala a suis creaturis repellere; Atqui Deus mala a suis non repellit; Ergo etc.

§. 101. R. dist. primam maj. De ratione etc. ut repellat omne malum, n., aliquod malum, subdist, si hoc malum finibus a se statutis repugnet, ceterisque rebus hujus Universi non cohaereat, conc., secus, n. maj., conc. min.; et dist. 1. cons.; si mala illa finibus suis non cohaereant; conc., secus, n. consm., atqui etc. non repellit propter optimos fines, conc., secus n.

min. subsm. cum cons. Multa sunt in Mundo mala, quae Deus tollere nequit, cujusmodi sunt mala metaphysica (§. 75.); permulta alia mala sunt, quae, licet Deus absoluta virtute sua tollere possit, neque tollere vult; melius namque Deus judicavit de malis bona facere, quam nulla mala esse permittere. Sane « » multa bona sunt in rebus, *ait* Angelicus Doctor (contra Gentil. Lib. III. Cap. 71.), quae nisi mala essent, locum non haberent: sicut non esset patientia » justorum, si non esset malignitas persequentium; nec » esset locus justitiae vindicativae, si delicta non essent, *Et infra*: » Si mala nulla essent in rebus, multum de » bono hominis diminueretur, et quantum ad cognitionem, et quantum ad boni desiderium, et amorem: » nam bonum ex comparatione mali magis cognoscitur, » et dum aliqua mala perpetrantur, ardentius bona » optamus » (*a*).

(a) Quae ulterius opponi solent, jam alibi a nobis soluta fuerunt in supra citatis locis, in responsionibus ad Objecta Polytheistarum. Si alia desiderantur, consulantur Gregorius Simon Tract. de Relig. Lib. I. Q. I. Art. III. Odoardus del Giudice Theol. Nat. Srct. III. Cap. III. Auctor Inst. Phil. Lugd. De Attrib. Dei Cap. VI. Nonnotte Dizionario della Relig. Tom. III. Art. Orig. del male.

# SECTIO II.

## *De Religione.*

§. 102. *Def.* ***Religio est cultus summi amoris, obsequii, ac servitutis, cui debetur, praestitus.***

§. 103. *Animad.* Religionis nomen derivare facit Tullius (Lib. II. de Nat. Deor. Cap. 28.) a *relegendo* cui consonat S. Augustinus (lib. X. de Civit. Dei Cap. 4.), ut propterea ipsorum sententia, idem sit ***Religio***, ac *lectus* Enti, cui debetur, *cultus*. Verum Lactantius (Lib III. Inst. Divin. Cap. 2.) illud derivare facit a *religando*, quasi hominis, quodam sacro vinculo, enti supremo religat, atque obstringat.

§. 104. *Schol.* Religio duabus constat partibus; *Theoretica* nempe, et *Practica*; et Practica quidem, vel *interna* est, vel *externa*. Insuper Religio alia *naturalis* est, alia *revelata*. In hac ergo Sectione, quae de Religione in genere tum *theoretica*, cum *practica*, et de Religione naturali, tyroni philosopho scitu necessaria sunt, breviter, atque distinctis capitibus absolvemus.

# CAPUT I.

## *De Religione in genere.*

§. 105. *Def.* 1. Religionem diximus esse cultum etc. (§. 102.); *Cultus* vero *hic nobis est sincera quae-*

*dam omnimodae nostrae dependentiae protestatio ab eo, cui debetur, quae laudatis amoris, obsequii etc. actibus absolvitur.*

§. 106. *Def. 2. Religio theoretica* illa dicitur, quae opiniones rectas complectitur circa obsequium, amorem, timorem, ac reverentiam, cui debetur praestandam; *Practico* vero, quae respicit operationes, quae juxta illas rectas laudatas opiniones, fieri debent.

§. 107. *Coroll.* Cultus itaque (§. 105.), idem est ac exercitium Religionis practicae; et duplex est; *internus*, et *externus*, (§. 104.).

§. 108. *Def. 3. Religio practica interna*, seu *cultus internus*, ille est, qui animi internas actiones respicit; externus vero, qui corporis externas respicit actiones, ritus externos, atque signa sensibilia, quibus internus animi cultus patefiat.

§. 109. *Schol.* Porro enti summo, Deo nempe debetur ne Religio? Ii omnes qui atheismum profitentur absolute negant. Cum namque hujus pessimae furfuris homines (ci revera dentur, vide §. 12.), nullum Deum esse dicant, nullam consequenter Religionem admittunt, qua Deus colatur, quos inter, ex Recensioribus locum sibi uindicant Miraband (Systema etc. p. 2. chap. 10.) et D. de Voltaire (Poeme sur la Loi naturelle). Esto autem quicumque Deum admittunt, Religionem ei deberi negare non possint, Religionem tamen aut falsam, et vitiosam ei praestant, qualis est Pagana, et gentilis superstitio; aut cultum dimidiatum ei tantummodo exhibent; vel nempe cultum solummodo internum, ut Quakeri, D. Rousseau (Emile Tom. III. pag. 124.), Auctor libri *Les moeurs* (Part. 1. Chap. 3. pag. 56.), aliique; vel cultum externum tantum absque interno, uti sunt *hypocritae*, de quorum numero, cum comperisset Christus Dominus esse Pharisaeos, *sepulcra dealbata* illos appellavit. Atque his erroribus merito, accenseri debet *Polyticismus*, a Nicolao Macchiavello callide inventus, quo asserit, Summos Imperantes ad Religionem erga Deum non teneri; quasi Imperator terrenus desineret esse ens contingens, atque a Deo dependens. Proh hominum pestis; Regumque flagellum!

# THEOREMA I.

*Deo summum debetur obsequium.*

§. 110. *Demon.* Nam Deus est ens necessarium, in omni genere perfectionum infinitum (§. 49.), ut eo melius, atque perfectius dari sit impossibile; Atqui hujusmodi enti, summum debetur obsequium; Igitur etc. Q. E. D.

§. 111. *Coroll.* Fides ergo Deo praestanda est. Hinc quoties constat, Deum esse loquutum, credere ei debemus.

# THEOREMA II.

*Deo summus amor debetur.*

§. 112. *Demon.* Illud objectum debet amari, quod in se bonum est, atque pulchrum, necessarium nobis, aut utile; Atqui Deus est in se bonus, imo solus qui dici possit bonus, quippe ipsa bonitas per essentiam (§. 51.); insuper ineffabilis est pulchritudinis, et ita nobis necessarius, et utilis, ut sine ipso nihil essemus; Ergo etc. Deinde Deus omnia, quae sunt, ex nihilo, virtute sua infinita produxit, atque admirabili providentia gubernat (§. 67.), nihilque odit eorum, quae fecit, Praesertim nos homines, prae aliis creatis rebus hujus Mundi, dilexit, quippe qui tot donis, et beneficiis naturalibus (ut hic de spiritualibus sileam) cumulavit; Ergo etc. Q. E. D.

§. 113. *Coroll. 1.* In Deo itaque spes nostra reponenda est; unde ipsum exorare debemus in omnibus necessitatibus nostris; est namque omnipotens, hinc potest; est sapientissimus, hinc scit; est infinite bo-

nus ; hinc vult nobis in tempore opportuno auxilium ferre. Quare

§. 114. *Coroll.* 2. Pro acceptis beneficiis gratias ei agere debemus. Ita nos ei gratos demonstramus, et digni efficimur, qui novis beneficiis ditemur.

## THEOREMA III.

*Summa servitus Deo debetur.*

§. 115. *Demon.* Deus est rerum omnium creator gubernator, et absolutus independens Dominus ; Ergo creaturae omnes illi servae sunt atque subditae, omnesque propterea ejus nutui obtemperare debent, ejusque verbum facere, atque leges servare ; nec est qui possit se ab ejus dominatione subducere, quia ubique est (§. 63.) ; et Omnipotens est (§. 53.) ; neque est, qui possit ei imperanti reponere, cur sic jubes? Ergo etc. Q. E. D.

§. 116. *Coroll.* Deum ergo timere debemus ; nempe cum ipse sit Pater, nos filii, timere debemus, ne ingrati simus Patri tam amabili, et amanti ; II. cum sit Omnipotens, et justus, timere debemus, ne ob scelera nostra, claudat viscera misericordiae, et a Paradiso excludat, aeternis cruciatibus nos addicendo ; III. tandem cum sit liberrimus timere debemus, ne auferat a nobis dona sua, et aliis impartiatur.

## PROPOSITIO I.

*Soli Deo debetur Religio.*

§. 117. *Demon.* Nam soli Deo Enti summo, et perfectissimo, aliorum omnium caussae, et origini summum debetur obsequium (§. 110.) ; summus amor

(§. 112.); summaque servitus (§. 115.); Atqui in actibus his Religio consistit (§. 102.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 118. *Coroll.* 1. Religio itaque ex natura tum Dei, tum hominis proficiscitur; cum namque inter hominem, et Deum necessaria relatio intercedat; homo namque est creatura, Deus creator; homo servus, Deus Dominus; homo subditus Deus Imperator, et Princeps, necessario tenetur homo summum obsequium ut Creatori; summum amorem ut Patri, atque benefactori; summam servitutem ut Domino, et Principi ei praestare; Adeoque

§. 119. *Coroll.* 2. Nequit Deus ipse absolvere hominem a Religione, quam ille ei debet. Ut enim absolveret, deberet tollere illas relationes (§. 118.); Sed hoc est intrinsecus impossibile; Ergo etc.

## PROPOSITIO II.

*Neque Religio theoretica sine practica, neque practica sine theoretica stare potest; sed utraque requiritur, ut Religio Deo placeat.*

§. 120. *Demon.* I. P. Nam per Religionem theoreticam homo rectas habet opiniones de Deo, deque obsequio, amore, et servitute, quae ipsi debetur; percipiensque relationem inter se et Deum; Deum nempe esse infinitum bonum, et necessarium; se finitum, et contingens; Deum absolutum dominum, se servum; Deum omnipotentem, se indigentem etc., fieri nequit, quin ei, praestet obsequium, amorem, servitutem; quod si praestare nolit, theoretica ejus Religio Deo utique non placebit, quinimmo magis reus efficeretur; quippe qui cum cognovisset Deum, et suas ad Deum obligationes, eas implere praetermisit. Praeterquam quod, cum Deus efformaverit hominem ad felicitatem consequendam; ut hanc consequatur reapse, homo juxta rectas, quas de Deo opiniones habet, suasque Deo obligationes, agere debet; Ergo etc.

§. 121. *Demon.* II. P. Religio practica in Reli-

gione theoretica fundatur; si enim homo rectas de Deo opiniones ignorat, quomodo juxta eas agere poterit? Igitur Religio etc. Deinde Deus est Ens simplicissimum (§. 42.), qui intuetur cor, nec delectatur in actibus externis Religionis, si hi ab interno animi sensu non deriventur, atque in illo sedem non habeant; Ergo externa seu practica Religio, stare nequit sine interna etc. Q. E. D.

§. 122. *Coroll. 1.* Cum ergo Cultus nihil aliud sit quam Religionis ipsius practicae (§. 107.) exercitium; sequitur, debitum Deo cultum internum esse debere, et externum, ut quemadmodum homo anima, et corpore constat, ita non minus internis animi sensibus, quam externis quoque corporis actionibus Deo famuletur, eique praestet obsequium. Quare.

§. 123. *Coroll. 2.* Ille Deum honorat, eique veram praestat Religionem, qui cultui interno, externum addit; adeoque

§. 124. *Coroll. 3.* Damnanda penitus est *hypocrisis*, externa solum Religio, quae *pietatis simulatio* etiam vocari solet. Deus enim, qui summe verax est, et sapientissimus, qui novit abscondita humani cordis, nihilque est, quod ei latere possit, Religionem abhominatur, quae exterioribus tantum constat (§. 121.).

§. 123. *Coroll. 4.* Nec minus refellendi sunt, qui non ea Religione, qua decet, Deum honorant, sed illa, quae variis superstitionibus ridiculis constat; immo indiguis quandoque caeremoniis, atque ritibus absolvitur.

## PROPOSITIO III.

*Vera Religio, una esse debet.*

§. 125. *Demon.* Nam Deus unus est (§. 62.); et ut sapientissimus, (§. 52.); infiniteque verax (§. 54.); nequit sibimetipsi repugnare; Ergo nequit in variis, atque sibi mutuo contradicentibus Religionibus delectari; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 127. *Coroll.* 1. Ex variis Religionibus, quae sunt in Mundo unica tantum est illa, quae vera est; ceterae falsae, et Divinitati injuriosae, hominibus noxiae. Hinc.

§. 128. *Coroll.* 2. Omnino reprobandus est *indifferentismus*, quo docetur, unumquemque in quavis Religione salvari posse; omnesque, licet inter se contradicentes Religiones, ex aequo, Deo placere.

## CAPUT II.

### *De Religione naturali.*

§. 129. *Def. Religio naturalis est cultus summi amoris, obsequii, et servitutis, sola naturali ratione duce, ab homine Deo praestitus.*

§. 130. *Schol.* Naturalis Religio duas habet partes, quarum una dicitur *theoretica*, *practica* alia. Theoretica est illa, quae veritates complectitur, quae in Cosmologia, Psychologia, atque Theologia naturali pertractari solent; veluti Mundi creationem, pulchritudinem, ordinem, perfectionem, Animae humanae naturam, et facultates; Dei quoque existentiam, attributa, et opera Practica vero, Juris Naturae praecepta continet. Verum existit ne hujusmodi Religio? Haec sunt.

### *Auctorum opinamenta.*

§. 131. Fuerunt quidam Veteres, ex quibus postea Epicurus, Epicureique omnes, qui existimarunt Deum esse plane otiosum, ac nullius pene Universi hujus creaturae curam, vel minimam habere; homines proinde in Mundo degentes adeo sine lege esse, ac Religione, ut quilibet, quod sibi placet, operetur; quin aliquid in Dei cultum facere teneatur, vel timere, aut sperare

quidquam debeat in altera vita futurum, existimantes, Religionem neque Deo, neque hominibus prodesse. Quare accusatus Demonax, quod Minervae numquam sacrificasset; Numquam, respondit, *putavi meis sacrificiis opus fuisse* ( P. M. Lib. VII. ap. ). Horum vestigia Hobbes, et Helvetius praementes, docere non dubitarunt, nullum natura justi, et injusti, honesti, et turpis discrimen esse, sed omnia hominum voluntate, ac opinione mensuram accipere. At merito exsibilantur.

## PROPOSITIO I.

*Existit Religio naturalis.*

§. 132. *Demon.* Nam existunt veritates, quae animae spiritualitatem, ( §. 39. Psyc. ); immortalitatem ( §. 74. ibi. ); Originem ( §. 163. ibi. ); libertatem ( §. 360 ibi. ) etc.; insuper Dei existentiam ( §. 20. ); attributa ( §. 30. et seq. ), et operationes mirifice confirmant, quibus Religio naturalis theoretica constat; existunt pariter Leges, seu praecepta naturalia, a Deo creaturis rationalibus imposita, quae solo rationis lumine cognoscuntur, in quibus Religio naturalis practica consistit ( §. 130. ). Atqui his duobus Religio naturalis absolvitur; Ergo etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO II.

*Naturalis Religio Deum habet auctorem.*

§. 133. *Demon.* Nam Religio naturalis a sola naturali ratione repetit cultum Deo praestitum; Atqui tam rationis naturalis, quam totius humanae naturae

auctor est Deus; Ergo et auctor quoque est Religionis naturalis; adeoque etc. Q. E. D.

## PROPOSITIO III.

*Religio naturalis, nequit esse falsa.*

§. 134. *Demon.* Nam Religio naturalis Deum cognoscit auctorem (§. 133.); Atqui Deus est summe verax (§. 54.); nec mentitur, aut mentiri potest; Ergo Religio etc. Ulterius Religio naturalis non alia complectitur, quam quae ratione naturali cognosci possunt pertinere ad cultum summi amoris, obsequii, et servitutis Deo praestitum; quaeque propterea sunt rectae rationi conformia, quippe legitime propriis in locis (§. 132.), demonstrata; Sed quae sunt rectae rationi conformia, et secundum rectam rationem (§. 323. Log. Can. II.); sunt certo vera (§. 311. ibi.); Ergo etc.

§. 135. *Schol.* Quamvis autem naturalis Religio a Deo sit; hinc neque falsa, neque mala, aut homini noxia esse possit; quinimmo necessaria sit, atque utilis, putandum tamen non est, eam solum homini in praesenti statu sufficere, sive ad perfectum, et completum Deo cultum praestandum, sive ad suam promovendam felicitatem. Ad id enim admodum insufficiens est, sine Religione rivelata, quidquid contra blaterent Deistae, et Naturalistae, quemadmodum fusius demonstrabimus in Tomo I. nostrae Sacrae Theologiae Synopsis, cum favente Deo, auctam, atque in meliori forma redactam, denuo excudi curabimus. Interim Metaphysicis Institutionibus his nostris esto.

FINIS.

# INDEX

## METAPHYSICÆ PARS III.

IDEST

## PSYCHOLOGIA

*Psychologiae nomen, et definitio.*

*Psychologiae divisio* . . . . . *pag.* 3

SECTIO I.

*De Animae humanae natura, atque essentia* . *ibi*
CAP. 1. *De Animae humanae existentia, et qualitate* . . . . . 6
*Hominum placita* . . . . . *ibi*
PROP. I. *Existit Anima in homine* . . . 9
PROP. II. *Anima hominis est substantia* . . *ibi*
PROP. III. *Anima in homine non est idem ac Corpus, sed alia substantia, quae corpori organico sociata, hominem constituit* . . 10
CAP. II. *De animae humanae natura* . . . 11
*Philosophorum sententiae* . . . . . 12
THEOR. I. *Enti materiali, et corporeo, cogitatio penitus repugnat* . . . . . 15
THEOR. II. *Animae proprietates cum materiae proprietatibus manifestissime pugnant* . . 16
THEOR. III. *Animae perceptiones nequeunt esse motus partium cerebri* . . . . . 17

THEOR. IV. *Anima humana agit modo essentialiter diverso ac substantia materialis.* . *pag.* 18
PROP. *Anima hominis est substantia spiritualis.* 19
*Materialium argumenta solvuntur* . . . *ibi*
*Objectiones aliae extra Scholae formam,* . . 25
CAP. II. *De Animae immortalitate* . . . 27
*Hominum placita* . . . . . 28
THEOR. I. *Anima humana est incorruptibilis* . 30
THEOR. II. *Nullum ens finitum potest animam, existentia, et vita privare* . . . . 31
THEOR. III. *Anima humana a corpore soluta, vim retinet cogitandi* . . . . . *ibi*
THEOR. IV. *Anima humana a corpore soluta potest cogitare, cogitatque reipsa* . . *ibi*
THEOR. V. *Divinae bonitati opponitur, hominis animam cum corpore interire* . . . 32
THEOR. VI. *Divinae justitiae repugnat, animam humanam, vita privari* . . . . 33
THEOR. VII. *Dei sapientiae adversatur, animas hominum in nihilum redigi.* . . . 34
THEOR. VIII. *Deus animam humanam post corporis mortem non vult vita privare* . . 35
PROP. *Anima hominis tum natura sua, cum Dei beneficio est immortalis* . . . . *ibi*
*Audiuntur Adversarii, et refelluntur.* . . 37
*Alia in contrarium argumenta, soluta oratione.* 42
CAP. III. *De animae essentia* . . . . 44
*Philosophorum placita.* . . . . . 46
THEOR. I. *Cogitatio actualis non est primum in anima attributum, a quo reliqua ejus attributa dimanant* . . . . . 47
THEOR. II. *Cogitatio actualis non est tale animae attributum, per quod ipsa a reliquis substantiis discriminatur* . . . . . *ibi*
PROP. I. *Animae essentia in actuali cogitatione nequit esse reposita* . . . . . 48
PROP. II. *Realis animae humanae essentia nobis est rincomperta* . . . . . *ibi*
PROP. III. *Nominalis animae essentia in his proprietatibus reponi posse videtur; quod nempe*

*1. sit substantia spiritualis; 2. creata, vi cogitandi praedita, ac libertate donata: 3. regendo corpori destinata . . . . . pag. 49*

## SECTIO II.

*De Animae origine* . . . . . 50
CAP. I. *De prima Philosophorum opinione circa animae originem* . . . . . 51
THEOR. I. *Hominis mentem ex Universi anima decerpi, omnino repugnat* . . . . . 53
THEOR. II. *Anima hominis nec Deus esse potest, nec Dei substantia* . . . . . 54
PROP. *Anima hominis nequit esse pars divinae substantiae* . . . . . 55
*Opposita argumenta solvuntur* . . . . . 56
*Aliae difficultates soluta oratione* . . . . . 61
CAP. II. *De Traducianismo, altera scilicet Philosophorum opinione, circa animarum originem* . . . . . 63
THEOR. I. *Totam animam Patris in filium propagari, absurdissimum est* . . . . . 65
THEOR. II. *Anima filii nequit esse pars animae Patris per traducem in filii corpus propagata.* 66
THEOR. III. *Anima filii a corpore Patris nequit ullo pacto traduci* . . . . . *ibi*
THEOR. IV. *Ridiculum est asserere, per auram, vel semen quoddam animae Patris, traduci animam in filium* . . . . . 67
PROP. *Animae humanae nullimode possunt a parentibus in filios traduci* . . . . . *ibi*
*Traducianorum argumenta proponuntur, et exsufflantur* . . . . . 68
*Objectiones aliae extra formam.* . . . . . 71
CAP. III. *De aliis Philosophorum opinionibus circa animarum originem* . . . . . 73
*Philosophorum opiniones* . . . . . 74
THEOR. I. *Animarum praeexistentia ante corpora purum est, putidissimumque commentum* . 75

THEOR. II. *Platonicorum, Pythagoreorum, atque Origenistarum Metempsychosis indigna est, quae a Philosopho sustineatur.* . . pag. 76
THEOR. III. *Animae omnes simul ab initio temporis a Deo creatae non fuerunt, et in propriis organicis corpusculis inclusae* . . . 77
PROP. *Animae hominum tunc a Deo creantur, et corporibus infunduntur, cum haec apta sunt ad vitae munia obeunda* . . . . . 78
*Argumentis adversariorum occurritur* . . . . *ibi*
*Difficultates aliae soluta oratione* . . . . 82

## SECTIO III.

*De Animae cum corpore unione, et commercio* . 85
CAP. I. *De Animae sede in corpore humano* . 86
*Philosophorum opiniones.* . . . . . 87
*Experimenta.* . . . . . 90
CAP. I. *Animae non est tota in toto corpore, et tota in qualibet ejus parte.* . . . . 91
THEOR. II. *Animae sedes in corde statui nullatenus potest* . . . . . 92
THEOR. III. *In glandula pineali Animae sedes nequit reponi* . . . . . 92
THEOR. IV. *In toto cerebro Animae sedes non est reponenda.* . . . . . 93
THEOR. V. *Neque in cerebello Animam residere dicendum est* . . . . . *ibi*
THEOR. VI. *In corpore calloso Anima sedem suam non habet.* . . . . . 94
PROP. *Animae sedes in solo cerebro est; at in quanam proprie ejus parte sit, usque modo ignoratur* . . . . . *ibi*
*Audiuntur Scholastici, et refutantur* . . . 95
*Objecta alia extra Syllogisticam methodum.* . 102
CAP. II. *De Commercio inter Animam et corpus.* 104
*Nonnulla Commercii phaenomena* . . . 105
*Philosophorum sententiae* . . . . 107
THEOR. I. *Caussarum occasionalium Systema obscuram loquendi rationem continet.* . . . 108

THEOR. II. *Caussarum occasionalium Systema intimo sensui repugnat . . . pag. 106*
THEOR. III. *Caussarum occasionalium Systema animae essentiam destruit. . . . . 110*
THEOR. IV. *Caussarum occasionalium Systema humanae naturae est valde injuriosum . . ibi*
PROP. *Caussarum occasionalium Systema nequit a viro Philosopho assumi ad explicandum animae cum corpore commercium. . . . 111*
*Satisfit contrariis argumentis. . . . . 112*
*Objectiones aliae extra formam . . . . 116*
CAP. III. *Harmoniae praestabilitae Systema expenditur. . . . . 118*
*Philosophorum sententiae . . . . . 119*
THEOR. I. *Animam et corpus, absque ulla ab invicem dependentia, proprias functiones exequi, nequit ullo pacto demonstrari . . 120*
THEOR. II. *Harmoniae praestabilitae Systema destruit commercium Animam inter, et corpus. ibi*
THEOR. III. *Harmoniae praestabilitae Systema principium rationis sufficientis evertit . . 121*
THEOR. IV. *Systema Harmoniae praestabilitae humanam destruit libertatem . . . . . 122*
THEOR. V. *Systema Harmoniae praestabilitae Materialismo favet . . . . . 123*
THEOR. VI. *Systema Harmoniae praestabilitae ad idealismum recta ducit. . . . . ibi*
THEOR. VII. *Harmoniae praestabilitae Systema Christianae Morali plane adversatur . . 124*
THEOR. VIII. *Harmoniae praestabilitae Systema cum Fide Catholica non satis cohaeret. . 125*
PROP. *Systema Harmoniae praestabilitae est omnino rejiciendum . . . . . ibi*
*Adversariorum argumentis occurritur. . . . 126*
CAP. IV. *Systema Physici influxus disputitur . 130*
*Auctorum sententiae . . . . . ibi*
PROP. I. *Systema influxus physici, quale a Peripateticis* rigido influxionistis *statuitur ad explicandum animae cum corpore commercium, pugnantia continet, deque absurda. . . . 134*

PROP. II. *Systema influxus physici, quale a mitioribus influxionistis statuitur, ad explicandum animae cum corpore commercium, aptius videtur* . . . . . pag. 132
*Argumenta opposita solvuntur* . . . . . 134

# SECTIO IV.

*De facultatibus animae.* . . . . pag. 139
CAP. I. *De humanae Mentis intellectu* . . . ibi
*Auctorum sententiae.* . . . . . 141
PROP. I. *Nulla rerum sensibilium idea est innata.* 142
PROP. II. *Idea Dei humano intellectui ingenita non est.* . . . . . 143
PROP. III. *Rerum abstractarum, et universalium ideae non sunt innatae.* . . . . . 144
*Audiuntur Adversarii, et confutantur* . . . ibi
PROP. IV. *Malebranchii Systema de idearum origine absurdum est* . . . . . 148
PROP. V. *Anima humana, vi propria, ideas sibi cudit.* . . . . . 149
CAP. II. *De Voluntate humana, ejusque objecto.* 158
*Eruditorum sententiae.* . . . . . 151
PROP. *Voluntas humana velle nequit, et amplecti malum sub ratione mali; neque nolle, atque aversari bonum sub ratione boni* . 152
CAP. III. *De humanae voluntatis libertate* . . 153
*Philosophorum placita* . . . . . 155
THEOR. I. *Humana voluntas ab interna necessitate omnino est libera.* . . . . . 156
THEOR. II. *Humana voluntas in actibus suis libera est a necessitate externa.* . . . . 157
PROP. *Voluntas humana libertate gaudet indifferentiae.* . . . . . 158
*Adversariorum argumenta solvuntur* . . . . ibi
CAP. IV. *De dependentia Voluntatis ab intellectu.* 162
*Philosophorum sententiae.* . . . . . 164
THEOR. I. *Voluntas a judicio ultimo intellectus, in suis actibus, non determinatur.* . . . 164

THEOR. II. *Voluntas humana in suis actibus a boni, vel mali finiti repraesentatione ultimo non determinatur . . . . . pag. ibi*
PROP. *Voluntas humana ipsa est, quae vi sibi propria, in actibus suis, juxta boni, vel mali repraesentationes libere se se determinat . . 165*
CAP. V. *De Memoria . . . . . 166*
APPMND. *De Anima Brutorum . . . 168*
*Philosophorum placita . . . . . 169*
*Experimenta, et observationes . . . . 171*
PROP. I. *Bruta pura Automata non sunt, sed Animam habent. . . . . 176*
PROP. II. *Brutorum Anima est substantia simplex, et immaterialis . . . . . ibi*
*Argumenta in contrarium solvuntur . . . 177*

# METAPHYSICÆ PARS IV.

*IDEST*

## THEOLOGIA NATURALIS

*Theologiae Nomen, divisio etc. . . . . 183*
*Theologiae Naturalis Divisio . . . . 184*

## SECTIO I.

*De existentia, atque attributis Dei . . . 185*
CAP. I. *De Dei existentia . . . . . 186*
*Varia sunt Philosophorum placita . . . 187*
THEOR. I. *Propria cujusque hominis existentia, Deum existere invictissime demonstrat . . 188*
THEOR. II. *Humani corporis structura, Deum existere ostendit . . . . . 189*
THEOR. III. *Mundus hic adspectabilis, et omnia quae in eo sunt, sive in Coelo, sive in terra, Deum existere depraedicant . . . 190*

THEOR. IV. *Unanimis omnium Gentium, Populorumque consensus, Deum existere convincit.* . . . . . *pag.* 190
PROP. *Ratione naturali Deum existere demonstratur.* . . . . . 191
*Atheorum cavillationes exsufflantur* . . . . 193
*Obectiones aliae extra formam* . . . . . 196
CAP. II. *De aliquibus praecipuis Dei attributis* . 199
PROP. I. *Deus est omnino immutabilis* . . *ibi*
PROP. II. *Deus est omnino independens* . . 220
PROP. III. *Deus est substantia simplex, et spiritualis* . . . . . *ibi*
PEOP. IV. *Deus est aeternus* . . . . . 202
PROP. V. *Deus est ens in omni genere perfectionum infinitum* . . . . . *ibi*
PROP. VI. *Deus est Omniscius* . . . . 203
PROP. VII. *Deus est omnipotens* . . . . 204
PROP. VIII. *Deus est summe, atque infinite verax* . . . . . *ibi*
PROP. IX. *Deus est vere, proprieque immensus* . 205
CAP. III. *De unitate Dei* . . . . . *ibi*
*Auctorum sententiae.* . . . . . 206
PROP. I. *Polytheismus, qualis fuit, et est apud idololatras, atque gentiles ridiculum est, putidumque commentum* . . . . . 207
PROP. II. *Plures dari Deos omnino impossibile est* . . . . . *ibi*
PROP. III. *Duos Deos, quorum alter summe bonus, alter summe malus sit, existere, omnino repugnat.* . . . . . 208
PROP. *Deus est unicus* . . . . . 209
*Satisfit adversariorum sophismatibus* . . . *ibi*
*Objectiones aliae extra Scholae methodum* . . 213
CAP. IV. *De Divina Providentia.* . . . . 214
*Philosophorum sententiae* . . . . . 215
THEOR. I. *Deus voluntatis suae actu Creaturas omnes conservat* . . . . . 216
THEOR. II. *Deus ad omnes creaturarum actiones concurrit* . . . . . 217

240
THEOR. III. *Deus Creaturas omnes sapientissime gubernat.* . . . . pag. *ibi*
PROP I. *Datur in Deo rerum omnium creaturarum Providentia* . . . . . *218*
PROP. II. *Datur in Deo specialis Providentia erga entia intellectu, et voluntate praedita* . . *ibi*
*Adversarii divinae providentiae audiuntur, et refutantur* . . . . . *219*

## SECTIO II.

*De Religione in genere* . . . . . *223*
TEHOR. I. *Deo summum debetur obsequium* . *225*
THEOR. II. *Deo summus amor debetur* . . *ibi*
THEOR. III. *Summa servitus Deo debetur.* . *226*
PROP. I. *Soli Deo debetur Religio* . . . *ibi*
PROP. II. *Neque Religio theoretica sine practica, neque practica sine theoretica stare potest; sed utraque requiritur, ut Religio Deo placeat* . . . . . *227*
PROP. III. *Vera Religio una esse debet* . . *228*
CAP. II. *De Religione naturali.* . . . . *229*
*Auctorum opinamenta.* . . . . . *ibi*
PROP. I. *Existit Religio naturalis* . . . *230*
PROP. II. *Naturalis Religio Deum habet auctorem* . . . . . *ibi*
PROP. III. *Religio naturolis nequit esse falsa.* . *231*

FINIS.

MAG 2012689